

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class 881 Book L6.Y+ Volume

Dittenberger Library 1907

Ap 08-5M

NOTICE: **Return or renew all Library Materials! The *Minimum* Fee for each Lost Book is $50.00.**

The person charging this material is responsible for its return to the library from which it was withdrawn on or before the **Latest Date** stamped below.

Theft, mutilation, and underlining of books are reasons for disciplinary action and may result in dismissal from the University.
To renew call Telephone Center, 333-8400

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY AT URBANA-CHAMPAIGN

SEP 30 1992

CLASSICS

L161—O-1096

QUAESTIONUM LUCIANEARUM

CAPITA QUATTUOR.

SCRIPSIT

ADOLFUS THIMME.

GOETTINGAE

LIBRARIA ACADEMICA.

G. CALVOER.

MDCCCLXXXIV.

881
L6Y+

881
Lb.Yt Classics

CAROLO DILTHEYO

SACRUM.

115711

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/quaestionumlucia00thim_0

I.

De secunda peregrinatione Luciani.

Lucianus senex in Herc. c. 7: '*ἐσκοπούμην πρὸς ἐμαυτὸν*', inquit, '*εἴ μοι καλῶς ἔχει τηλικῷδε ὄντι καὶ πάλαι τῶν ἐπιδείξεων πεπαυμένῳ αὖθις ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ψῆφον διδόναι τοσούτοις δικασταῖς.*'

Cum Samosatensis his verbis se denuo longinquiore spatio intermisso in publicum prodiisse profiteatur, plerique homines docti existimaverunt, ab eo iterum peregrinationem rhetoricam initam esse talem, qualis iuvenem Rhetoricesque maritum ad tot tamque remotas terras impulerit visendas.[1]

Atque quia saepissime inopia homines cogit ad labores subeundos, eum nescio quo casu fortunas partas perdidisse suspicati sunt.[2] Quod procul dubio concluserunt ex Apol. c. 10, ubi cur munus illud Aegyptium ingressus sit, Sabino amico lepidis iocis exponit. Verba enim sunt haec c. 10: '*μία μοι ἴσως ἄγκυρα ἔτι ἄβροχος· ὀδύρεσθαι τὸ γῆρας καὶ τὴν νόσον καὶ μετὰ τούτων τὴν πενίαν πάντα ποιεῖν καὶ*

1) cf. Wetzlarium, C. F. Hermanni pedisequum in diss. de vita etc. Luciani. Marburg 1834, Planckium, Prellerum, Schwarzium alios. Sommerbrodtius Ausgew. Schriften des Lukian I p. XV: 'In seinem höheren Alter', inquit, 'sehen wir ihn noch einmal ... den Wanderstab ergreifen, noch einmal in früherer Weise durch Declamation und Vorlesung seiner Schriften um den Beifall des Publicums werben.' Similiter Jacobitzius in edit. III p. 494 et Croisetus in l. Essai sur la vie et les œuvres de Lucien. Paris 1882 p. 38. 83.

2) cf. Wetzlar. l. c. p. 54: 'Sed cum iam senesceret, fortunae vices expertus est, nam res eius familiaris sensim sensimque diminuta esse videtur.'

πάσχειν ἀναπείθουσαν.' Haec igitur ad veram causam Luciani pertinere opinati sunt. Sed hanc causam Lucianus ipse iam exprompsit verbis c. 9: '*εἰ ... ἐκεῖνο λέγοιμι, μήτε ὑπὸ χρημάτων μήθ' ὑπ' ἄλλης τινὸς ἐλπίδος τοιαύτης δελεασθεὶς ὑποσιῆναι τὴν παροῦσαν συνουσίαν.*' Atque si illa eo modo interpretantur, omnino repugnant, quae leguntur in c. 11: '*οὐδ' ἡμεῖς οὕτω πένητες εὐλόγου ἀπολογίας, ὡς ὑπ' ἀπορίας τὰ τοιαῦτα κρησφύγετα πρὸς τὴν κατηγορίαν ζητεῖν*': quibus indicatur, causam illam nihil nisi vanum praetextum futurum fuisse. Vera inest causa in verbis c. 9: '*τὴν σύνεσιν καὶ ἀνδρείαν καὶ μεγαλόνοιαν τοῦ ἀνδρὸς θαυμάσας ἐθελῆσαι κοινωνῆσαι πράξεων τῷ τοιούτῳ.*' Sed fac, inopia commotum munus illud '*πολυτάλαντον*', quod videlicet ita describitur, ut esurienti extremum refugium praebere videatur, Lucianum suscepisse: num eadem causa ad iterandas declamationes — fortasse decem annis ante[1] — adductus sit, nescimus, cum de hac re prorsus tacuerit.

Mirum tamen esset, si Lucianus senex denuo ad artem rhetoricam, iam pridem tanto clamore non sine ostentatione derelictam, accessisset. Neque dubium fere est, quin dialogis libellisque satyricis recitandis victum sibi quaesiturus fuerit, non declamationibus sophisticis.

Deinde vero, quamquam ex Herc. c. 7 certo concluditur, Lucianum denuo in publicum prodiisse, nondum exploratum habemus, utrum semel, an saepius, peregrinans, an uno remanens loco dixerit. Itaque quid rei sit, diligentius sciscitaturus sum.

Verba '*πάλαι τῶν ἐπιδείξεων πεπαυμένῳ*' falso interpretati sunt ei, qui crediderunt, Lucianum de eo tempore loqui, quo rhetoricam quadragesimum fere annum aetatis agens deseruit, falso, dico, quia etiam post illud tempus

---

1) Interesse aliquod tempus inter Herculem Bacchumque et Apologiam conspicuum est, cf. Herc. c. 8: '*ὑποπόλιον γένειον*' et '*γέρων*' saepius in Herc. et in Bacch. — cum Apol. c. 1 et 4: '*ἐν γήρᾳ δὲ ὑστάτῳ καὶ σχεδὸν ὑπὲρ τὸν οὐδόν.*'

ἐπιδείξεις habuit, cum scripta sua in publico recitaret.[1] Nam 'ἐπίδειξις' et 'ἐπιδείκνυσθαι' usurpantur et de sophistarum declamationibus et de recitationibus poëtarum scriptorumque et de unoquoque artifice, qui artis suae specimen in publicum edit. Hoc ex Luciano ipso perspicitur, cf. Harmon. c. 3: 'ὅσοι δόξης ὀρέγονται δημόσιόν τι ἐπιδεικνύμενοι.' De tibicine in eiusdem Harm. c. 2 dicitur: 'εἰ τούτοις ἐπιδείξαιο τὰ αὐλήματα.' De Alexandro praestigiatore Alex. c. 16: 'τὴν δὲ ἐπίδειξιν οὐχ ἅπαξ ὁ μιαρός.' Denique de semet ipso dialogos recitante Lucianus in Piscat c. 6: 'αὐτὰ γοῦν', inquit, 'ἐπιδείκνυμαι ἀνθρώποις', cf. Prom. in verb. c. 2: 'ἡμεῖς δὲ εἴδωλα ἅττα ἐπιδεικνύμεθα' etc.[2] Ergo verba illa: 'πάλαι τῶν ἐπιδείξεων πεπαυμένῳ' non ad declamationes sophisticas, sed ad librorum recitationes referenda sunt.

Itaque sic res se habet: Samosatensis usque ad quadragesimum annum rhetoricam exercuit artem; tum scripta sua publice recitabat; postea, cum nondum consenuisset, aliquamdiu, sine dubio per complures annos, scripta publice recitare destitit; tum vero, senex factus, eo tempore, quo Herculem scripsit, denuo in publicum prodiit.[3]

Quae cum ita sint, recitatio libelli cuiusvis, quem paulo ante conscripserat, praefationem, quae Ἡρακλῆς inscribitur, excepisse videtur, non declamatio.

Dixerit forsitan quispiam: si hae praefationes a rhetoribus prolusionum loco habitae sint, quod e Plinii epistulis cognoscitur, eas quoque declamationes, quibuscum copulatae

---

1) cf. Bis Accus. c. 28. Piscat. c. 26. Apolog. c. 3. Prom. es in verb. c. 2.

2) Saepius simplex 'δεικνύναι' pro 'ἐπιδείκνυσθαι' usurpatur, cf. Apol. c. 13: 'τὸ σύγγραμμα καὶ ἐν πολλῷ πλήθει δειχθέν.' Cf. Herod. c. 7. Harmon. c. 3. Scyt. c. 10. al.

3) Ne quis e vocabulo quod est 'πάλαι' quidquam concludat, quippe quod ex contextu verborum omne fere temporis spatium a parva diei particula ad longam saeculorum seriem significare possit; e. c. cf. Luc. Tim. 58 vel Toxar. 30 cum Tim. 36 vel Char. 9.

erant, pro sophisticis habendas esse. Atque quod viderim ea scripta Luciani, quae '*προλαλιαί*' appellare consuevimus,[1] ab hominibus doctis semper exempla talium praefationum rhetorum prolata sunt. Nec tamen hoc sine exceptione quadam dici potest. Nam Plinius, cum in Epist. l. II, 3 et IV, 11 Isaei et Liciniani rhetorum praefationes commemoret, alibi, Epist. I, 13 de eorum quoque, qui libros recitaverint, praefationibus loquitur.[2] Atqui si quis Luciani Bacchum, Herculem, Electrum, Promethea in verbis, Zeuxim, Herodotum, Harmonidem, Scytham attente perlegerit, concedet, haec omnia esse peculiaria Luciani ingenio, neque ad usitatam rhetorum formam redacta ea credet. Distant enim *δὶς διὰ πασῶν*, ut aiunt, et a declamatiunculis mere sophisticis Luciani, ab Hippia, Dipsadibus, Encom. muscae, aliis,[3] et ab Apulei narratiunculis, quae oratoriis quisquiliis depictae in Floridorum fragmentis inveniuntur. Deinde mirum esset, ex Samosatensis aetate iuvenili tam paucas superesse ipsas declamationes, praefationes vero tot. Ergo non rhetorem sophistamve eas declamasse Lucianum, sed *λογογράφον*, ut Lucianeo vocabulo utar, eas recitasse arbitror. Hoc de nonnullis earum luculenter potest demonstrari. Itaque Meesius,[4] etsi totum hoc genus primae aetati rhetoris addixit, ipse eximit de numero iuvenilium operum (praeter Bacchum et Herculem) Promethea in verbis et, dubitanter tamen, Zeuxim, quos ad satyrica scripta commendanda compositos esse coniecit. Et recte: de Prometheo enim nemo dubitabit; et quae in Zeuxidis c. 1 inveniuntur exclamationes: '*ὦ τῆς καινό-*

---

1) Hic titulus est in codd. Baccho tantum et Herculi inscriptus.

2) cf. Martial. III, 18 item Quintilianum, Senecam al. — Si modo vox Graeca '*προλαλιά*' respondet latinae 'praefatio', quod accuratius demonstrari non potest. Cf. Volkmann. Rhetor. p. 308 et Cresollium Theatr. vet. rhetor. p. 414.

3) Male haec omnia confunduntur a Kaysero in edit. Philostrati p. V.

4) in comment. de Luc. studiis et scriptis iuvenilibus. Roterod. 1841 p. 30.

τητος· 'Ηράκλεις τῆς παραδοξολογίας κιλ' nemo ad dialogos satyricaque scripta antea recitata referre non potest, cum in sophisticis, quae supersunt, quid novi insit, nesciam. Lucianus igitur eo tempore, quo Zeuxim scripsit, iam transierat ab rhetoricis ad satyrica scripta componenda. Itaque cur Meesius de Baccho, quem sophisticis annumerat, aliter iudicaverit, non intellego. In Bacchi enim, quem eodem fere tempore atque Herculem composuit auctor, cap. 5 ita de materia recitationis quam habiturus est, loquitur, ut non sophisticum sed satyricum atque 'παράδοξον' argumentum ea contineri appareat. Conferas velim ea potissimum verba, quae sunt sub finem capitis: 'ἐπαγγέλλομαι αὐτοῖς ὅτε ἦν καὶ νῦν ὡς πρότερόν ποτε τὴν τελετὴν ἐθελήσωσιν οἱ παλαιοὶ συμπόται κώμων κοινῶν τῶν τότε καιρῶν, καὶ μὴ καταφρονήσωσι τῶν Σατύρων καὶ Σειληνῶν κτλ.' Ecquis est, qui vv. τῶν τότε καιρῶν referenda putet ad id tempus, quo Lucianus, scilicet ante plus viginti annos rhetor extiterit? Nonne optime referuntur ad scripta satyrica, quae permulta legerat, minime vero ad declamationes usitatissimas easque mediocres? Atque etiam alias, quae quidem post iter Luciani, quod Bis Acc. c. 27 describitur, conscriptae videantur, praefationes ita coortas esse puto, ut recitationibus antecesserint, non declamationibus rhetoricis, quae sunt Electrum[1] et Herodotus.[2] Tirocinia huius generis videntur existimanda esse Harmonides et Scytha, quorum de tempore, num tempori rhetorico auctoris adiudicanda sint, adhuc ambigo. Concedendum tamen est, omnes προλαλιὰς aliquantulum differre ab aliis scriptis satyricis vel historicis Luciani, ita ut et in narrandi ratione et in ornatu oratorio paulo propius accedant ad rhetorica. Quod ni fallor optime explicatur: rhetorica enim usus est forma Lucianus, ut praefatione — memoriter fortasse pronuntiata — velut specimen liberae dicendi artis daret, priusquam 'σύγγραμμα' aliquod ex manuscripto legeret.

1) cf. c. 2. 2) cf. c. 5.

Quoniam igitur vidimus, praefationibus, nisi omnibus, certe plerisque, non rhetorica, sed scripta alius argumenti adnexa fuisse, redeo nunc ad Herculem et Bacchum, de quibus supra iam disserui. Recitationes enim cum his praefationibus coniunctae quaenam fuerint, nescio an accuratius explorare possimus.

In Bacch. c. 7 Lucianus, narratiuncula de fonte Sileni propemodum peracta, pergit: '*τὸ μέντοι παραδοξότατον οὐδέπω εἶπον.*' Quibus verbis haud praetereundis orator audientes attentiores reddere vult, ad se ipsum a narratione, quam exempli causa attulit, transiturus. Eadem enim in Hercule eo reperiuntur loco, quo scriptor de semet ipso loqui incipit, c. 3: '*καίτοι τὸ παραδοξότατον οὐδέπω ἔφην.*' Deinceps Lucianus Bacch. c. 7: '*ἦν γὰρ ἀτελῆ*', inquit, '*ὁ γέρων μεταξὺ καταλίπῃ, ὃν διεξίῃει τὸν λόγον, δύντος ἡλίου κωλυθεὶς ἐπὶ πέρας αὐτὸν διεξελθεῖν, ἐς νέωτα πιὼν αὖθις ἐκεῖνα συνάπτει ἃ πέρυσιν αὐτὸν λέγοντα ἡ μέθη κατέλιπε.*'

Nescio quomodo factum sit, ut haec verba ab interpretibus prorsus neglecta sint, quanquam bona explicatione carent. Wielandius, qui solus ea meditatus esse videtur, annotavit[1]: 'Dieser Prolog würde dadurch gewinnen, wenn wir den Ort, die Zeit und andere Umstände wüssten, wo, wann und unter welchen er gehalten wurde. Mir scheint wahrscheinlich, dass er in einer Stadt, wo Lucian ehemals vielen Beyfall erhalten, nach einer vieljährigen Abwesenheit, gesprochen worden sey; wenigstens lässt sich der räthselhafte Theil desselben aus dieser Voraussetzung ziemlich leicht erklären.'

Nec vero video, quemadmodum ea, quae supra exscripsi, hac coniectura explicentur. Immo: obscurissima manent, nisi, quod primo aspectu fortasse paene ridiculum videtur, de ipsius Luciani recitatione interrupta verbotenus intelleguntur, cum praesertim Lucianus diserte addat c. 8: '*ταῦτά*

1) Lukians Werke T. III, p. 437 ed. Lips.

μοι κατὰ τὸν Μῶμον εἰς ἐμαυτὸν ἀπεσκώφθω' et: 'ὁρᾶτε γὰρ ἤδη, καθ' ὅτι τῷ μύθῳ ἔοικα.'

Sed quomodo hoc fieri potuit? quomodo, siquidem de rhetorica declamatione agi putaverunt homines docti, orator, postquam mediam orationem interrupit, anni spatio intermisso, pergere atque longius insequi potuit? De hac re recte nemo cogitavit.

At declamationem omnino non habitam esse supra demonstravi, sed recitatum esse librum aliquem. Ita res plane ac prorsus aliter sese habet: dummodo librum fuisse talem existimemus, ut ea pars, quae priore anno recitata esset, editione publici iuris facta in audientium manibus versata sit, priusquam alteram partem ab recitatore audivissent; neque enim quisquam sanus omnia ab auditoribus memoria retenta esse putare potest. Qua re de uno eodemque libro cogitandum non erit, sed de duobus, quorum prior solus editus esse possit. Itaque libelli Samosatensis perlustrandi sunt, si inveniri possint duo, qui ita inter se coniuncti sunt atque conexi, ut alter eo loco producat narrationem quo prior substitit. Neque enim huc spectant, quibus occultior tantum series inest argumenti atque consecutio, ut Vit. auctioni et Piscatori, Peregrino et Fugitivis. Atqui inter omnia Luciani scripta unum tantum par reperitur, quod ad ea quae postulamus respondeat: ergo habemus quod quaerimus, Verarum Historiarum dico libros duos. Ad quos secundum quoque illud egregie quadrat. Birtius[1] enim optime admonuit, Ver. Hist. unum ex omnibus scriptis Luciani in libros esse divisum: quam ob rem mihi quidem veri simillimum videtur, priorem 'monobiblon' editum esse.

Supervacaneum esse non puto, hoc loco inquirere, num tempus, quo Verae Historiae conscriptae sint, cum ratiocinatione nostra congruat.

Planckius[2] Ver. Hist. libros collocavit inter l. de merc. cond. et l. de hist. conscr., quem brevi postea scriptum putat.

---

1) Antikes Buchwesen p. 295. 2) Quaestt. Luc. p. 19 seqq.

Itaque Timonem Dialogos Mortuorum Tyrannum etc. posteriori tempori attribuit.

Sommerbrodtius[1] Veras Historias Luciani secundae periodo adscripsit, cui verba praeposuit: 'Schriften der Übergangsperiode. Beschäftigung mit der Philosophie.'

Qua de re facere non possum quin aliter iudicem. Auctorem enim Verar. Hist. vel plurima lectitasse conspicuum est: sed non tam philosophorum scripta rhetorumve, quam historiarum fabularumque copias. Tempore autem, quo Sommerbrodtius Veras Hist. conscriptas esse voluit, Luciano prorsus alia curae erant: philosophica et rhetorica. Concedo philosophos etiam in Ver. Hist. II, 17 seqq. ei ludibrio esse, ita tamen, ut leviter perstringantur quasi a victore, qui iam pridem serio cum iis dimicare destiterit. Paucis igitur hoc loco complectitur, quae ubique in eos iocosa satyricaque iactaverat. Quaenam vero seria pugnandi ratio Luciani fuerit, si cognoscere studeas, compares egregium qui Hermotimus inscribitur dialogum.

Complura deinde ex ipsis Ver. Hist. colligi possunt. Saepius enim scripta alia sua quasi digito demonstravit. Itaque praeter V. H. II, 18 verba '*τῶν δὲ Στωικῶν οὐδεὶς παρῆν· ἔτι γὰρ ἐλέγοντο ἀναβαίνειν τὸν τῆς ἀρετῆς ὄρθιον λόφον*', quae ad Hermotimum (cf. c. 5) reicienda sunt, conferantur V. H. II, 9: '*τρίτῃ δ' ἐδικάσθη περὶ προεδρίας Ἀλεξάνδρῳ τε τῷ Φιλίππου καὶ Ἀννίβᾳ τῷ Καρχιδονίῳ*' cum Dial. Mort. XII; V. H. I, 29: '*ἔνθα καὶ τὸν ἡμέτερον λύχνον ἐγνώρισα καὶ προσεῖπον αὐτὸν καὶ περὶ τῶν καθ' οἶκον ἐπυνθανόμην ὅπως ἔχοιεν· ὁ δέ μοι ἅπαντα ἐκεῖνα διηγήσατο*' cum Tyranni c. 27;[2] V. H. II, 24 '*μυσαττόμενος τὴν κναμοφαγίαν*' cum Vit. Auct. c. 6: '*ἢ μυσάττῃ τοὺς κνάμους;*' V. H. II, 31: '*πυλωρὸς ἐφεστήκει Τίμων ὁ Ἀθηναῖος*' cum Timone.

---

1) Ausgewählte Schriften des Luc. I p. XX.

2) Tyrannum c. a. 170 scriptum esse Fritzschius contendit in edit. III, 2 p. 127.

His omnibus, quae attuli, Planckii sententia labefactata videtur: neque enim dubium est, quin illae res primo priore aliquo vitae tempore accurate ab auctore pertractatae sint, postea, ut memoria renovaretur, iterum strictim attactae.

Itaque Rohdius[1] melius coniecit, libros, de quibus agimus, scriptos esse eodem fere tempore atque Icaromenippum et Alexandrum, id est post a. CLXXX., quod Lucianus hac senili aetate Epicuri laudi valde faverit.[2]

Quocum optime congruit, quod, si usum particularum respicimus, Verae Historiae artissime cohaerent cum his et ceteris scriptis, quae a Luciano sene composita et sunt et videntur esse.

Nam primum quidem particularum copulatio '*πλὴν ἀλλὰ*', quae saepissime usurpatur in Dialogis Deorum et Mortuorum Charone Gallo Piscatore Bis Accusato Hermotimo Timone aliis prorsus deest in scriptis senilibus: Apologia pro mercede conductis Pro lapsu Baccho Hercule Verar. Hist. l. I, II, Alexandro Icaromenippo Saturnalibus Cronosolone Epistolis Saturn. al., raro inest in l. de morte Peregrini de mercede conductis Rhetorum praeceptore Philopseude.

Particula *μὴν* coniungi solet in dialogis illis florentis aetatis cum simplici *καὶ*, in senilibus scriptis aut cum duplici *καὶ* coniungitur, aut omnino deest. Itaque *καὶ μὴν* saepe in Dialogis Deorum et Mortuorum Charone Gallo Piscatore Bis Accusato Hermotimo Timone — *καὶ μὴν καὶ* his omnibus dialogis deest,[3] inest vero in l. de morte Peregrini de mercede conductis Rhetorum praeceptore Verar. Hist. l. I, II, Saturnalibus Epistolis Saturn., qui contra illo *καὶ μὴν* carent.[4] Vacui sunt a particula *μὴν* ll. Apologia pro mercede conductis Pro lapsu Bacchus Hercules Alexander Cronosolon.

---

1) Griech. Roman p. 191.

2) cf. V. H. II, 18. Cf. Bernays Lucian u. d. Kyniker p. 43.

3) uno tantum loco Dial. Mort. 13, 1 adhuc (etiam a Fritzschio) legitur *καὶ μὴν καὶ*, sed procul dubio secundum *καὶ* cum praestantissimis codd. ΑΦΩ delendum est.

4) In Icarom. tamen et *καὶ μὴν* et *καὶ μὴν καὶ* inveniuntur.

Adverbium '*ἄλλως*' saepissime a Luciano usurpatum non invenitur tamen in Apologia pro mercede cond. Pro lapsu Baccho Hercule Verar. Hist. l. I, II, Alexandro Icaromenippo Cronosolone al.; inest vero in omnibus illis: Dialogis Deor. et Mort. Charone Gallo Bis Accusato Hermotimo Timone aliis.

Denique fortasse commemorari potest, particulam *δή* in scriptis, quae posteriori aetati Samosatensis attribuuntur, nunquam ad imperativum addi: in Apologia pro mercede cond. Pro lapsu Baccho Hercule Alexandro Ver. Hist. I, II, Icaromenippo Cronosolone Saturnalibus Epist. Saturn. Philopseude Rhetorum praeceptore de morte Peregrini de mercede conductis.[1] Saepius coniungitur *δή* cum imperativo: in Dialogis Mortuorum Gallo Vitarum Auctione Piscatore Bis Accusato Hermotimo.

Lucianum posteriore aetate, quod ad scribendi materiam attinet, propius accessisse ad scriptores romanenses, qui dicuntur, eisque similes, optime cum in Baccho et Hercule iam sentimus, tum in Electro, Philopseude, Icaromenippo.

Atque eosdem Lucianum eo tempore, quo Ver. Hist. conscripsit, studio ac favore amplexum esse apparet: magnam enim partem eorum, quae in Ver. Hist. iocatur, e Ctesia fluxisse scriptor ipse indicat I, 3; ut narrationes de fontibus mirabilibus in Ver. Hist. I, 7 et II, 16 haud dubie imitantur medicum illum, qui de fontibus permulta congessit mira.[2] Itaque eam quoque narratiunculam de fonte Sileni, quae in Baccho est, e Ctesia assumptam esse probabile est; et cum similia exceptis his duobus libellis apud nostrum non inveniantur, hoc quoque argumentum fore putavi, Bacchum et Ver. Hist. libros uno tempore scriptos esse.

Nec vero omnem fructum ex narratiuncula illa ex Bacch. c. 7 desumpta iam percepimus nostrae disputationi:

1) v. merc. cond. c. 6 *φέρ' οὖν*, c. 10 *φέρ' ἤδη* pro *φέρε δή*, quod alibi saepe legitur.

2) cf. Indic. 4, 10, 14, 30, fragm. 39, 40 (Lion). Traditur etiam totum librum *περὶ ποταμῶν* scripsisse.

nam, si recte eam interpretati sumus, porro inde efficitur, Lucianum per totum annum omnino tacuisse: sicut senes, die, quo e fonte Sileni hauriebant, peracto, statim in annum proximum obmutescunt. Atque quia ille dies, quo senes loquaces fiunt, anniversarius erat apud Indos,[1] etiam Lucianum anniversario ac festo ni fallor die — nescio an auctoritate quadam evocatum — in publicum prodiisse mihi persuasum est.

Nunc demum vidimus, omnia, quae de secunda peregrinatione Luciani alucinati sunt viri docti, pro nihilo existimanda esse. De duabus tantum recitationibus agitur, quarum posteriori, Verarum Historiarum librum II. continenti, Bacchus annexa erat praefatio: priorem, Ver. Hist. librum I. continentem, cum praefatione, quae Hercules vocatur, coniunctam fuisse veri simillimum est. Nam ne Hercules quidem caret indiciis, quibus quae exposui confirmentur. Neque enim quae sunt in c. 7: '*ἡνίκα περὶ τῆς δεῦρο παρόδου ταύτης ἐσκοπούμην πρὸς ἐμαυτὸν, εἴ μοι καλῶς εἶχε τηλικῷδε ὄντι καὶ πάλαι τῶν ἐπιδείξεων πεπαυμένῳ*' ... ex contextu orationis referenda sunt ad consilium Luciani nescio qua causa permoti denuo declamationum repetendarum, immo ita dicta sunt, ut de ea tantum recitatione publica, quam habiturus est, senex loqui videatur. Deinde ea, quae sub finem leguntur: '*καὶ διὰ τοῦτο ἐτόλμησα πάλαι νενεωλκημένον τὸ ἀκάτιον κατασπάσας καὶ ἐκ τῶν ἐνόντων ἐπισκευάσας αὖθις ἀφεῖναι ἐς μέσον τὸ πέλαγος*' addidit scriptor, non quo de tota vivendi ratione commutanda atque de itineribus sophisticis redintegrandis cogitaverit, sed quod ad insequentem recitationem spectavit, vel potius Lucianea quadam subtilitate usus ad eam, quae describitur in Ver. Hist. l. I mirabilem peregrinationem maritimam seu transmarinam, praecipue ad ea, quae sunt in c. 5: '*ὅπλων πολύ τι πλῆθος παρεσκευασάμην ... καὶ*

1) cf. c. 6: '*οἱ Ἰνδοὶ ἅπαξ τοῦ ἔτους ἑορτάζοντες τῷ θεῷ ... πίνουσι τῶν πηγῶν.*'

τὴν ναῦν — ἄκαιος δὲ ἦν — ὡς πρὸς μέγαν καὶ βίαιον πλοῦν ἐκρατυνάμην.' Nec minus, quae gallicus ille philosophus de Hercule sene dicit c. 6: 'καὶ τά γε βέλη αὐτοῦ οἱ λόγοι εἰσίν, οἶμαι, ὀξεῖς καὶ εὔστοχοι καὶ ταχεῖς καὶ τὰς ψυχὰς τιτρώσκοντες' de Luciano ipso atque de facetiis quibus in Verar. Histor. libris scriptores romanenses perstringuntur dici videntur.

Denique de auditoribus Luciani et de die quo recitationem habuerit, addantur paucissima eaque incerta.

In prooemio Ver. Hist. I commemorantur 'οἱ περὶ τοὺς λόγους ἐσπουδακότες' ita, ut suspicari possimus, librum apud studiosos literarum recitatum esse a Luciano. Ac ne quis credat, verba quae sunt in Herc. c. 7: 'ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ψῆφον διδόναι τοσούτοις δικασταῖς' referri non posse ad studiosos. Qua de re non iam dubitabit, si cognoverit, quae Philostr. in vitt. Soph. de potentia discipulorum cum alibi tum l. II, 8 narrat: Philagrum sophistam Athenis approbationem atque gloriam omnino non assecutum esse, cum superbia animos discipulorum Herodis Attici a se abalienasset.

Nescio an Lucianus die festo Bacchico recitaverit. Aliter enim tot ioca, quae in 'Baccho' insunt, frigida essent atque inania: cf. c. 1: 'κωλύει γὰρ οὐδέν, οἶμαι, καὶ μῦθον ὑμῖν διηγήσασθαι Βακχικόν' — c. 5: 'ἀλλὰ τί πρὸς τὸν Διόνυσον ὁ Διόνυσος οὗτος; εἶπόι τις ἄν' (sic proverbium tritissimum nova imbuit elegantia) — c. 6: 'ἐθέλω καὶ ἄλλο ὑμῖν διηγήσασθαί τι τῶν ἐκεῖθεν, οὐκ ἀτροσδιόνυσον οὐδ' αὐτὸ, οὐδ' ὧν ποιοῦμεν ἀλλότριον.'

II.

De hypomnematographo Alexandrino.

Lucianus senex munus publicum accepit, quo se 'οὐ τὸ σμικρότατον τῆς Αἰγυπτίας ταύτης ἀρχῆς ἐγκεχειρίσθαι' ipse confirmat. Eodemque deinde loco complura de functionibus, quas subierat, narrat his verbis Apol. c. 12:

'τὰς δίκας εἰσάγειν καὶ τάξιν αὐταῖς τὴν προσήκουσαν ἐπιτιθέναι καὶ τῶν πραττομένων καὶ λεγομένων ἀπαξαπάντων ὑπομνήματα γράφεσθαι καὶ τάς τε ῥητορείας τῶν δικαιολογούντων ῥυθμίζειν καὶ τὰς τοῦ ἄρχοντος γνώσεις πρὸς τὸ σαφέστατον ἅμα καὶ ἀκριβέστατον σὺν πίστει τῇ μεγίστῃ διαφυλάττειν καὶ παραδιδόναι δημοσίᾳ πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀποκεισομένας...'

Mirum est, quod quamquam Lucianus, quale munus fuerit, tam verbose explicat, tamen vv. dd. non consenserunt: sine controversia vero constat inter omnes, eum iudiciario aliquo munere functum esse.

Iam H. Valesius[1] funditus repudiavit opinionem I. a Costae, qui Lucianum assessorem sive consiliarium fuisse arbitratus est. Minime dubitanter Valesius: 'sed pace', inquit, 'viri eruditissimi dictum sit, non assessorem, sed hypomnematographum se fuisse his et sequentibus verbis significat Lucianus. Sic enim dicebantur Alexandriae actuarii seu memoriales, qui acta conficiebant.'

Ad Valesii arbitrium et nutum totum sese accommodavit Gothofredus in editione Cod. Theod. IV p. 524.

Postea Valesii verborum evanuisse videtur notitia, cum neque Reitzius neque Wielandius neque Rudorffius neque alius quisquam ante G. Dindorfium mentionem sententiae Valesianae fecerit.

Reitzius enim omnino non de hypomnematographo cogitat, sed de actuario vel graphiario tantum munere, quod certo nomine ornare non audet.[2]

Wielandius Samosatensi publicas provinciae tabulas commissas fuisse existimat.[3]

Rudorffius vero, tametsi Valesium, ut supra dixi, non nominat, tamen sententiam eius prorsus sequitur.[4]

---

1) ad Amm. Marc. p. 353 ed. a. 1636.
2) ed. a. 1743 I p. LXV sequ.
3) Lukians Werke V p. 184.
4) in Mus. Rhenan. II (1828), p. 82.

Post eum omnes vv. dd.[1] Lucianum hypomnematographum fuisse persuasum habuerunt. Atque etiam Fritzschius, vir egregius, de hac re exquisite ita disseruit, ut ad Valesii opinionem prorsus accederet.[2]

Attamen omnibus quae attulit restitutor Luciani argumentis tantum abest ut credam, ut contra putaverim denuo ea, quae scriptores veteres tradunt, diligenter esse retractanda.

Quamobrem ut recte informare possimus magistratum de quo agitur, Strabonis locus quo praecipue de magistratibus Aegyptiis agit, ante omnia examinandus est.

Strabo igitur l. XVII p. 797 priore quidem loco romanos commemorat magistratus: '*ἔπαρχον*' primum, deinde '*δικαιοδότην, τὸν τῶν πολλῶν κρίσεων κύριον*', tertium '*ἰδιόλογον, ἐξεταστὴν τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων.*' Quorum administri nominantur: '*ἀπελεύθεροι Καίσαρος καὶ οἰκονόμοι.*' Tum Strabo, postquam pauca de numero ac distributione militum per provinciam collocatorum dixit, pergit: '*τῶν δ' ἐπιχωρίων ἀρχόντων κατὰ πόλιν μὲν ὅ τε ἐξηγητής ἐστι πορφύραν ἀμπεχόμενος καὶ ἔχων πατρίους τιμὰς καὶ ἐπιμέλειαν τῶν τῇ πόλει χρησίμων, καὶ ὁ ὑπομνηματογράφος καὶ ὁ ἀρχιδικαστής, τέταρτος δὲ ὁ νυκτερινὸς στρατηγός. ἦσαν μὲν οὖν καὶ ἐπὶ τῶν βασιλέων αὗται αἱ ἀρχαί . . .*'

---

1) Excepto Friedlaendero, Darstell. I p. 91, 2, qui munus quod vocatur 'a cognitionibus' verbis Lucianeis designari putat. Ut hoc probabile reddat, illud '*Αἰγυπτίας ταύτης ἀρχῆς*' licenter corruptum putans, quaestionem ita obscuravit, ut de hac sententia nescio unde ex abdito eruta plura dicere nolim.

2) in edit. Luc. I, 2 p. 208 seqq. Identidem Lumbroso de Luciano hypomnematographo pauca, sed eadem fere quae antea Fritzschius, attulit, cf. in l. Recherches sur l'économie politique de l'Egypte p. 181, deinde in Rivista di filolog. 1876 p. 473 sequ., nuperrime (a. 1882) in l. l'Egitto al tempo dei Greci e dei Romani p. 73. Novum tamen est, quod Lumbroso (Riv. di filol. 1876 p. 474) fabulam romanensem, quae ap. Luc. in Toxar. c. 27 seqq. legitur, in tabulario hypomnematographi a Luciano inventam esse arbitratus est.

Ac primum quidem unusquisque videbit, romanos magistratus hic accuratissime distinguendos esse ab aegyptiis atque discernendos, neque vero ita, ut illos a Romanis institutos, hos acceptos esse e regum temporibus putemus, sed ut romani magistratus a Romanis, aegyptii ab Aegyptiis vel potius a civibus Alexandrinis gesti sint. Quod demonstratur ex eo, quod ἰδιόλογος, quamquam Ptolemaeis regnantibus iam existebat,[1] tamen inter romanos nominatur, quoniam a Romanis administrabatur.

Deinde iusto ordine Strabonem pro dignitate singulorum magistratus enumerare apparet. Nam et ἐξηγητὴν iam ornatu atque honore praeter ceteros florere, et νικτερινὸν στρατηγὸν haud superiore loco fuisse quam ἀρχιδικαστὴν s. principem iudicii consentaneum est: itaque de hypomnematographo et principe iudicii eodem modo cogitandum esse Lumbroso recte confirmavit.[2] Valde autem miror, quod Rudorffius, quem eisdem fere verbis Marquardtius sequitur, etiamsi iustum a Strabone ordinem magistratuum constitutum esse diserte affirmat, tamen ipse ordine commutato iudicii principem ante hypomnematographum collocat. Quod nisi fecisset, certe omnes offendissent in iis quae de hypomnematographo addit: 'der ὑπομνηματογράφος, der Gehülfe des ἀρχιδικαστής, Gerichtsschreiber. Ausführlich beschreibt dies Amt Lucian Apol. pr. merc. cond. c. 11. 12.'[3]

Neque enim quisquam ὑπομνηματογράφον adiutorem ἀρχιδικαστοῦ fuisse atque graphiarium concedet, si Strabonis, qui eum secundo loco nominat, ordinem conservaverit. Sed etiamsi ordinem magistratuum parum diligenter a Strabone constitutum esse credamus, quomodo fieri potuit, ut tale quale Rudorffius hypomnematographi fuisse voluit munus

1) cf. Marquardt, Staatsverwaltung I. Aufl. II p. 299.

2) Rivista di filol. l. c.

3) in Mus. Rhen, II p. 82 an. 9, cf. Marquardt, Staatsverwaltung I. Aufl. I p. 297. In altera editione (1881) Marquardtius haec omisit, attulit tamen Luciani locum Apol. 12. Fritzschium ne hoc quidem loco nominavit.

in '*ἀρχῶν*' numero poneretur? Nonne inferior est graphiarius iudicialis quam ut eum inter principales quattuor tantae urbis nominari existimemus? Deinde vero quomodo Lucianus se '*γνώσεις τοῦ ἄρχοντος*' summa fide conservare dicere potuit, si ipse in '*ἀρχόντων*' numero fuisset?

Itaque vox quae est apud Lucianum: '*ἄρχων*', non ad '*ἀρχιδικαστήν*', sed ad alium quendam iudiciarium summae auctoritatis magistratum referenda est, neque video ullum nisi aut *ἔπαρχον* s. procuratorem provinciae aut *δικαιοδότην* s. iuridicum Alexandriae, quorum hic urbi, ille per provinciam ius dicebat.[1] Hypomnematographus vero magistratus urbanus romano non adiunctus erat, quia Strabo, eis diligenter secretis, addit, cum romanis '*οἰκονόμους καὶ ἀπελευθέρους Καίσαρος*' coniunctos fuisse. Ergo Lucianus non erat hypomnematographus.

Accedunt alia. Lucianus pergit l. c. c. 12: '*καὶ ὁ μισθὸς οὐκ ἰδιωτικὸς ἀλλὰ παρὰ τοῦ βασιλέως, οὐ σμικρὸς οὐδὲ οὗτος ἀλλὰ πολυτάλαντος . . .*'

Sive Lucianus per iocum, ut solet, de salario suo superbius quam verius gloriatur, sive de aegyptio talento aeris[2] — utique sale quodam asperso orationi — cogitandum est, accepit certo qualiscunque fuit mercedem: neque enim aliter apologiam pro mercede conductis scribere oportebat. Atqui illis Alexandrinis magistratibus salarium praebitum fuisse haud veri simile est, cum cuncta rerum civilium gerendarum ratio per omnia antiquitatis tempora ac loca tali opinioni obstet: nullo praemio addito semper et in Graecorum et in Romanorum civitatibus honores civiles administrati sunt.

Quae quo probabilior fiat ratio, pauca addantur de ipsis Aegypti magistratibus. Haec provincia cuius ex administratione Alexandria urbs exemta erat, in '*νόμους*' erat divisa, quibus *στρατηγοί* s. *νόμαρχοι* praeerant. *Στρατηγῶν* autem

1) cf. Ritter in edit. cod. Theod. V in praefatione.

2) hoc talentum multo minoris pretii erat, cf. Droysen in Mus. Rhen. III. p. 519.

munus sine mercede administratum esse scimus, cum in numero *χωρικῶν λειτουργιῶν* esset, a quibus suscipiendis cives Alexandriae liberati erant.[1] Loco *στραιηγῶν* in urbe quattuor illi magistratus constituti erant:[2] itaque cives Alexandrinos, *χωρικῶν* absolutos, his *πολιτικαῖς* ut ita dicam *λειτουργίαις* usos esse quis est quin videat?

Sed si quis his rationibus neglectis tamen de mercede illorum magistratuum cogitaverit, mercedem a civitate datam esse Alexandrina, non ab imperatore romano concedet: Lucianus vero '*παρὰ τοῦ βασιλέως*' salarium accepit. Procul dubio igitur et hypomnematographus et ceteri illi magistratus cives Alexandrini fuerunt.

Denique illud quoque commemorare volo, quod Samosatensis l. c. c. 12: '*οὐ φαῦλαι ἐλπίδες*', inquit, '*εἰ τὰ εἰκότα γίγνοιτο, ἀλλ' ἔθνος ἐπιτραπῆναι ἤ τινας ἄλλας πράξεις βασιλικάς.*' Etiamsi talia senem extremae aetatis serio sperasse vix probabile sit, tamen plane inepta fuissent atque absurda, si evenire omnino non potuissent. Sed si hypomnematographus fuisset Lucianus, procurator (*ἔθνος ἐπιτραπῆναι*) eligi non potuit, sed *ἐξηγητής* Alexandrinus, neque ideo '*βασιλικάς*', sed '*πολιτικὰς*' *πράξεις* adeptus esset. Ex codice enim Theod. lib. XII. tit. I., l. 189 cognoscitur, primum curiae, quem ad *ἐξηγητήν* respondere Gothofredus p. 523 demonstrat, 'muneribus universis expletis ad summum gradum pervenisse': itaque cum antea hypomnematographum fuisse necesse est.

Obstare vero videtur locus Philonis, quo potissimum — ni fallor — Fritzschius commotus est, ut Lucianum pro hypomnematographo habeat. Dicuntur enim adv. Flacc. II. p. 984 de Lampone, accusatore Flacci, haec: '*παρεστὼς γὰρ τοῖς ἡγεμόσιν ὁπότε δικάζοιντο, ὑπεμνηματίζετο τὰς δίκας εἰσάγων, ὡς ἔχων τάξιν . . .*' Omnia quae hic commemoran-

1) v. edict. Tib. Alex. ed. Rudorff in Mus. Rhen. II lin. 34. 35: *καὐτός δὲ φυλάσσων, ὥστε μηδένα τῶν ἐγγενῶν Ἀλεξανδρέων εἰς λειτουργίας χωρικὰς ἄγεσθαι.* Cf. Rudorff l. c. p. 142 an. 44 et Marquardt, Staatsverw. I. p. 291.

2) Kuhn, Städt. etc. Verfassung II, 479.

tur cum Luciani officiis optime congruunt: *ὑπεμνηματίζετο = ὑπομνήματα γράφεσθαι, τὰς δίκας εἰσάγων = τὰς δίκας εἰσάγειν*, atque etiam quae sunt: *παρεσιὼς τοῖς ἡγεμόσιν* ad Samosatensis munus, quod c. 9. *συνουσία* vocatur, bene quadrant. Postremis vero verbis *ὡς ἔχων τάξιν* mendum inest aliquod. Fritzschius, qui nonnullos codd. Mangei, post v. '*τάξιν*' inculcantes '*τοιάνδε*' sequitur, explicat: 'quippe qui tale munus obiret, i. e. quippe qui esset hypomnematographus.' Sed hoc nequaquam idem est, nam qui hypomnemata scripsit iudiciaria, nondum hypomnematographus Alexandrinus putandus est. Propter hanc ipsam autem verborum Philonis et Luciani similitudinem Fritzschii lectio *ὡς ἔχων τάξιν τοιάνδε* mihi quidem minime placet. Nam cum alia omnia quasi dimensa et paria congruant, his quoque verbis *ὡς ἔχων τάξιν* respondeant oportet similia quaedam ex Lucianeis. Quaenam haec sint, ex voce, q. e. *τάξις* cognoscitur: neque igitur dubito, quin ea sint ita emendanda, ut ad Lucianeum illud: '*καὶ τάξιν αὐταῖς τὴν προσήκουσαν ἐπιτιθέναι*' quam proxime accedant. Itaque malim Mangei coniecturam probare: '*ὡς ἔχοιεν τάξιν.*'

Quae cum ita sint, nihil est, cur Lampon hyponnematographus existimandus sit. Immo ex eo quod Philone non ita honorifice tractatur intellegi iam debet, eum in eorum numero putandum esse, quos romani magistratus sibi ipsi assumebant officiales et comites. Itaque quamquam fortasse Aegyptius erat, ignobili loco natus, a praefecto, quippe quem *δυνάστην, εὐεργέτην, σωτῆρα* appellasset (p. 983), ad munus illud quaestuosum elatus esse videtur. Quo factum est, ut neque apud Philonem neque apud Lucianum certum muneris nomen allatum sit, quod, si de hypomnematographo ageretur, mirum esset. Tituli enim atque officia assessorum comitumque Luciani temporibus nondum lege satis destinata erant.[1] Neque vero impedimur Strabonis verbis: '*οἰκονόμοι καὶ ἀπελεύθεροι*

1) cf. Bethmann-Hollweg, Civilprocess II, p. 137. Madvig, Verfassung etc. des röm. Reichs II, p. 110.

Καίσαρος' quominus tale munus et a Lampone et a Luciano administratum esse putemus. Nam sequioribus imperatorum temporibus omnia fere quae olim ordine atque dignitate civium definita erant munera, confusa esse atque conturbata satis constat.[1]

Fritzschius magistratum a Luciano verbis *τὰς τοῦ ἄρχοντος γνώσεις* tacito nomine allatum *δικαιοδότην* fuisse putat. Sed ne hoc quidem mihi veri simile videtur. Nam primum v. *ἄρχων* aut de magistratibus municipalibus aut de praefectis provinciae usurpatur; si autem iuridicum Alexandriae significare voluisset, non dubito, quin '*τοῦ τῆς πόλεως ἄρχοντος*' dicturus fuerit. Deinde verba quae sunt in Apol. c. 12: '*τῆς μεγίστης ἀρχῆς κοινωνοῦμεν καὶ τὸ μέρος συνδιατρίβομεν*' melius de eo intelleguntur, qui praefecto per totam provinciam ius dicenti adstiterit, quam ei, qui unam provinciae urbem moderabatur.

Itaque Lucianum praefecti comitem fuisse et commentariensis et scriniarii et amici locum tenuisse mihi persuasissimum est. Omnia si ita interpretamur, ad Luciani verba optime conveniunt. Comites enim, qui saepe amici erant praefectorum, publicum salarium acceperunt,[2] et — ceterum fluctuantibus officiis — praecipue in iure dicendo versati sunt.[3] Commentariensem vero tenuissimo loco fuisse, quod Fritzschius l. c. contendit, tam generaliter dici non potest: semper respiciendum, cuinam magistratui commentariensis adiunctus fuerit. Nam, quod proxime accedit ad Luciani verba *ἔθνος ἐπιτραπῆναι*, comperimus, e commentariensium praefecti praetorio numero procuratores esse delectos.[4] Cum commentariensis

1) cf. Friedländer, Darstell. I. p. 55 seqq.

2) Bethmann-Hollweg l. c. II. p. 138 an. 15: 'die gesetzlich bestimmte Zahl (der comites), durch welche Privatbegleiter, Freunde etc. nicht ausgeschlossen sind, steht im öffentlichen Dienst und empfängt Staatsbesoldung.' Cf. Mommsen, Staatsrecht I p. 246.

3) Mommsen, Staatsrecht I p. 223. Madvig I p. 589.

4) Cauer in Ephem. epigr. IV p. 425: 'apparet, munus quod dicitur a commentariis praefectorum praetorio summae dignitatis fuisse, quoniam ex eo procuratores facti sunt.'

munere coniunctum fuisse scriniarii nemo mirabitur.[1] Nemo denique dubitare potest, quin Aegypti praefectus, qui officiorum paene oppressus esse saepius traditur,[2] comitibus stipatus fuerit.

Ac de Luciano quidem hactenus: videamus nunc, qua re commoti vv. dd. Samosatensis verborum interpretes de hypomnematographo cogitaverint. Neque aliud quidquam reperire posse puto, nisi verba: '*ὑπομνήματα γράφεσθαι*': quae sonitu illa quidem certe simillima num re congruant cum Alexandrino magistratu, cum de verbis magis quam de re laborarent, parum sciscitati sunt. Nam cum v. *ὑπόμνημα* omnia fere ad memoriam confecta literisque ex tempore consignata significet, diligentius explorandum est, num hypomnematographi Alexandrini munus iudiciaria talia *ὑπομνήματα*, qualia in apologia Luciani commemorantur, amplexum sit.

Deinde incautius erat, unum tantum illud: '*ὑπομνήματα γράφεσθαι*' respicere ex verbis Samosatensis, quippe qui quinque officia afferat: 1. *δίκας εἰσάγειν*, 2. *τάξιν αὐτᾶς ἐπιτιθέναι*, 3. *ὑπομνήματα γράφεσθαι*, 4. *ῥητορείας ῥυθμίζειν*, 5. *γνώσεις διαφυλάττειν*. Eodem enim iure dicere possum, ad id, quod quinto loco posuit, spectans, eum *συγγραφοφύλακα* fuisse, magistratum quendam aegyptium inferiorem,[3] ad ea autem, quae sunt: *ἔθνος ἐπιτιμᾶν*, eum illud munus Aegyptium, cuius nomen *ἐθνάρχης* traditur,[4] appetivisse: qua tamen de re nemo cogitabit. Apparet profecto, hypomnematographum Alexandrinum *ὑπομνήματα γράψασθαι*: incertissimum est, num cetera quoque officia quae a Luciano exponuntur, expleverit: omnium autem verborum pondera examinanda sunt.

---

1) Summi magistratus, praefecti praetorio, et scrinium et magister scrinii iam saec. III commemorantur, cf. Madvig I p. 583.

2) e. c. cf. Philonem adv. Flacc. p. 536.

3) Kuhn II p. 494.

4) Strabo XVII p. 798.

Vellem plura aliunde sumpta huius magistratus cognitionem suppeditarent: perpauca vero indagari possunt. Occurrunt autem in cod. Theod. lib. XII. tit. I l. 192,[1] quae quaestionem afferunt quidnam sit illud, quo Luciani munus differat ab hypomnematographi, haec: 'si quos spontaneos hypomnematographi munificos suis exhortationibus ad publicas nominaverint functiones, Augustalis iubemus non expectandum esse consensum.' Quem ad locum optime Gothofredus annotavit p. 524: 'Quodnam munus eius (scil. hypomnematographi) fuerit, partim ex hac lege, partim ex nominis indicio in partem cognoscere licet: nempe eum nominationes ad liturgias seu munera publica civilia et curialia fecisse, munera distribuisse et commentarios harum rerum fecisse.' Certissime, sed laudem ei error compensavit, cum, postquam nonnullos locos adscripsit, quibus haudquaquam ad hypomnematographum Alexandrinum pertinentibus latinum 'commentariensem' graece '*ὑπομνηματογράφον*' conversum esse demonstrat, pergeret: 'Sed quid moramur? Lucianus in Apologia id munus graphice describit.' Tantopere igitur Valesii annotatio iudicium Gothofredi turbavit, ut non contulerit pugnantia nec comparaverit contraria inter illos hypomnematographorum commentarios et Luciani, cui de litibus iudiciariis loquenti 'commentarii factorum dictorumque omnium' (scil. de litigantium testiumque actionibus) in animo erant. Praeter ea autem officia, quae enumerantur, ei alia fuisse plura explenda, nemo potest cogitare, cum vel maxime Luciani intersit ostendere, se re vera '*ἐν μυρίαις ταῖς ἀσχολίαις*' versari.

Prorsus autem non intellego, quomodo ei, qui papyros[2] a Peyronio in Act. Acad. Taurinens. an. 1841 editos nove-

1) eadem reperiuntur in cod. Iust. X, 31. 59.

2) de papyri Berolinensis frustulo a Partheio in nov. memor. institut. archeol. a 1865 p. 449 publici iuris facto disserere non audeo Verba sunt haec:

ματογράφου τὴν λοιπογρ|||||
ἔχω τόδε καθ' ἓν αὐτῶν ἀποδη||||||

runt, qui de Apollonio tirone aliquo adscribendo militum numero agunt, etiamtum de commentariis iudiciariis cogitare potuerint. In papyro II. enim Apollonio, postquam a Ptolemaeo Philometore rege impetravit, ut reciperetur '*εἰς τὴν Λεξιλάου σημαίαν ἰεταγμένην ἐν Μέμφει*' (lin. 41), placuit, omnes literis consignare magistratus, ad quos sibi adeundum fuisset, antequam locum petitum nancisceretur. Appellantur igitur magistratus hi: *ἀρχισωματοφύλαξ καὶ γραμματεὺς τῶν δυνάμεων, στρατηγὸς, ἀρχιυπηρέτης, διοικητὴς, ἐπιμελέτης, γραμματεῖς*. In horum numero, in quo ne unus quidem est iudiciarius magistratus, cum de causa iudiciaria omnino non agatur, sub finem papyri leguntur haec: *καὶ ἐκομισαμὴν τὸ προσταγμμα Πτολεμαίῳ τοῦ ὑπομνημματοφς*. Dubium autem fere esse non potest, cum Apollonium neque in arte scribendi neque in rebus grammaticis satis firmum fuisse eluceat, quin legendum sit: *Πτολεμαίῳ τῷ ὑπομνημματογράφῳ*.[1]

Franzius in CIG vol. III ad hunc locum recte annotat: 'In extremis prorsus caecutimus. Decretum quidem translatum videmus ad Ptolemaeum *τὸν ὑπομνημματογράφον*.' Certe ex eo loco munus hypomnematographi constituere non audebimus, cum ne ordinem quidem iustum singularum epistularum, quem Apollonius rudis homo turbavit,[2] restituere possimus. Tamen ex hoc loco efficitur: primum, hypomnematographi munus non iudiciarium fuisse, deinde, hypomnematographum non tam arte cum aula regia coniunctum fuisse, quam Lumbroso (Recherches p. 182) putat, qui eum fuisse certo scit 'le chef des audiences, secrétaire

Etsi linea prior sic completur:

ὑπομνημματογράφου τὴν λοιπογραφίαν

tamen disputationi nostrae nihil prodest.

1) cf. Peyron. annot. p. 47: 'La grammatica, la sintassi, l'ortografia sono sciaurate, talora mancano i nominativi e talora i verbi' etc.

2) Peyron. l. c. p. 37: 'Oltrecchè la serie non ne è compiuta, e neppur diposta per ordine cronologico, la data di alcune manca e di altre è falsa, cosicchè per ristabilirne l'ordine bisognerebbe entrare in uno spinaio di conghietture, mentre il resultato non francherebbe la perdita il tempo ed il pericolo troppo facile di errare.'

pour les procès-verbaux, chargé de la conservation et notification des actes royaux, gardien de l'ordre dans les débats.'[1] Sed nemini hunc magistratum obscuriorem fuisse quam Lumbrosio cognoscimus, si alium locum eiusdem libri comparamus, ubi scripsit p. 345: 'l'administration soit des recettes soit des dépenses se divise entre un nombre, probablement assez grand, de grammates, d'hypérètes, d'epimélètes, d'hypomnematographes, d'antigraphes speciaux.'

Nec vero mirum est, quod de scriba, qui hypomnematographus appellatur, parum novimus, cum ne eorum quidem scribarum, qui saepius in papyris et inscriptionibus occurrunt, e. c. *γραμματεῖς βασιλικοὶ, κωμογραμματεῖς, τοπογραμματεῖς, χωρογραμματεῖς*, munera satis possint perspici.[2]

Tamen pronum erit colligere, si comparaverimus illum ex cod. Theod. assumptum locum, iam regum temporibus hypomnematographos 'nominationes ad liturgias' et 'commentarios harum rerum' fecisse. Itaque nomen Apollonii a Ptolemaeo hypomnematographo aut in commentarios inscriptum aut ex eis deletum est, quod a liturgiis Apollonius liberandus erat. Nam in alio papyro postea scripto, frater Apollonii queritur, eum in liturgias iniuste abstractum esse: cf. Lumbroso Rech. p. 203 in pap. lin. 7: '*ὁ προγεγραμμένος Ἀργεῖος* (Lumbroso: *ἀρχιντηρέτης*) *ἀποσπᾶ αὐτὸν ἀπ' ἐμοῦ εἰς τοὺς λειτουργίας κτλ.*'

At dixerit forsitan quispiam: quid hypomnematographo, quippe qui a Strabone magistratus nominetur Alexandrinus, cum Apollonio Heracleopolitano? Concedo ea, quae de hoc munere comperta habemus, cum in ceteris papyris omnibus, qui usque ad hunc diem publici iuris facti sunt, nihil de hypomnematographo tradatur, non sufficere, ut hanc difficultatem solvamus: iuvabit tamen hoc loco meminisse, in

1) Hoc iudicio stetit Lumbroso etiam in l. l'Egitto al tempo dei Greci e dei Romani 1882 p. 73: 'l'Ipomnematografo introduttore delle cause presso il Prefetto e così, senza dubbio, presso il Re.'

2) cf. Wessely, Prolegomena ad nov. edit. papyr. Graec. cur. Dissert. Vindobon. 1883 p. 12.

cod. Theod. non unum sed plures hypomnematographos commemorari. Nihil igitur obstat, quominus et Alexandriae et in aliis provinciae partibus hypomnematographos extitisse credamus.

III.

Quaenam ratio intercesserit inter Lucianum et Romanos exponitur.

Pro laps. c. 13 Lucianus: '*ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς αὐτοί*', inquit, '*εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω, τοὺς προσαγορεύοντας ἀντιδεξιούμενοι τῷ τῆς ὑγιείας ὀνόματι πολλάκις ἀμείβεσθε.*'

Quorum de vi ac sententia vv. dd. inter se valde discreparunt. Nam cum alii[1] Lucianum linguae romanae inscientiam his verbis confiteri arbitrati sint, alii,[2] num quid ex eis concludi possit de eius eruditione, dubitaverint, A. Schwarzius[3] contra ita ea interpretatur, ut Samosatensem dilucide declarare existimet, se linguae romanae compotem esse. Etiam eis verbis, quae paulo ante in eodem capite leguntur, Schwarzius opinionem suam celerius constitutam fulcire studet: '*τί δ'; οὐχὶ καὶ ἐν τῷ τῶν ἐντολῶν βιβλίῳ, ὃ ἀεὶ παρὰ βασιλέως λαμβάνετε, τοῦτο πρῶτον ὑμῖν ἐστι παράγγελμα, τῆς ὑγιείας τῆς ὑμετέρας αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι;*'

Sed iam Moses Solanus: 'quaenam ea formula fuerit', inquit, 'quam hic tangit, nescio', suspicatur tamen, respicere Lucianum ad formulam quae sit: 'si vales, bene est.'

Schwarzius autem suo iure contendere mihi videtur, cum constans quaedam formula Luciani in animo sit, de hac 'si vales bene est' cogitari non posse. Statuit igitur, illis verbis significari epistularum inscriptionem, quae est

1) Planck, quaestt. Luc. p. 17. Th. Fritzsche, Menipp und Horaz p. 30. Wasmannsdorf, Luciani scripta ea quae ad Menippum spectant p. 13.

2) Bernhardy, lit. gr. I p. 581 (IV ed.).

3) Wiener Studien II p. 146 seqq.

'salutem dicit', et salutationem inter se occurrentium 'tibi salutem'. Tamen ipse statim confiteri coactus est, vocem 'valetudinis' melius respondere ad graecum '*ὑγίεια*' quam 'salutis'. Itaque etiamsi quae Schwarzius de salutationibus illis disseruit recta iudicemus, de Luciano lingua latina bene erudito adhuc dubitemus oportet: certe enim male convertit vocem latinam.

Sed Schwarzii sententia mihi quidem nondum approbata est. Quomoda enim illo 'salutem dicit', in quo nihil nisi optatio inest, '*παράγγελμα*' illud continetur?[1] Quocum optime congruit illa quam Wielandius[2] affert formula: 'valetudinem tuam cura diligenter.' Cogitandum erit, ni fallor, potius de hac: 'cura ut valeas', quae saepe in fine epistularum usurpatur. Hoc modo illud '*ἐπιμελεῖσθαι*' vel proxime ad latinum 'curare' accedit. Atque quanquam Lucianum hoc modo finem epistularum cum iis quae in initio dicta solent, turpiter commutavisse necesse est, tamen hunc lapsum — qui profecto major esset, quam pro quo illam defensionem scripsit — ab eo commissum esse prorsus incredibile non est. Sed cum ne haec quidem in epistulis constans formula sit, nihil nos scire certi fatendum est de forma salutandi, ad quam Luciani verba spectant.[3] Atque haec omnibus fere vv. dd. insita opinio, de epistularum formula quadam cogitari necesse esse, omnino est evellenda:

---

1) Schwarzius, qui pro *τῆς ὑμετέρας* '*αὐτῶν*' coniecit '*αὐτὸν*', optationis ('salutem dicit') et cohortationis ('*παράγγελμα*') repugnantiam non sustulit, sententiam vero plane turbavit, cum voci q. e. *παράγγελμα* attribuerit vim, quam non habet.

2) Lucians Werke V p. 241.

3) Nisi forte eam quam paene ridiculam nunc expositurus sum rationem accipere vis: Apologiam pro lapsu inter salutandum sub Commodo imperatore scriptam esse veri simillimum est. Commodus autem narratur tardissimus fuisse ad scribendum, ita, ut in plurimis epistulis 'Vale' tantum scriberet: cf. Aelium Lampridium in vit. Com. c. 13. Itaque, si imperator mandatorum libellis, quos in provincias emisit, tales literulas adiunxit, optimam habemus verborum, de quibus agimus, explicationem.

neque enim compertum habemus, num in libro mandatorum, quem parum novimus, eaedem atque in epistulis formulae fuerint.[1]

Itaque cum ex hoc loco nihil prorsus efficiatur, quo melius enucleare possimus, quatenus Lucianus res Romanorum cognitas habuerit quaeque omnino de iis cogitaverit, aliunde nobis ex scriptis eius quasi auxilia arcessenda sunt. Schwarzius quoque, quoniam ex loco, quem tractavimus, demonstrasse sibi videtur, Lucianum linguae latinae peritissimum fuisse, alia multa affert, quae eidem rei argumento fore arbitratur.

Atque primum quidem, quod dicit, Lucianum, cum senex magistratum romanum administraret, literas latinas scivisse, pro nihilo habendum est.[2] Nam cum in omnibus orientis provinciis imperator magistratusque graeco sermone publice utebantur,[3] tum in Aegypto semper eadem lingua, a Ptolemaeis regibus usu publico iam recepta, a magistratibus romanis, quod praefectorum edictis, quae supersunt, dilucide demonstratur, usurpata est. Quid? ab ipso Luciano quippe qui virum romanum nobilissimum graeca non latina illa salutatione '*ὑγίεια*' allocutus sit, nonne demonstratur, etiam in privata inter se consuetudine magistratus romanos graeco sermone usos esse? Neque ideo quatenus linguam latinam sciverit Lucianus, hac re percipi ullo modo potest, quanquam eum verba aliqua latina scivisse et consentaneum

1) Solus Th. Marcilius (ed. Bip. III, 595) de hoc libello plura scivisse videtur.

2) Bernhardy in lit. gr. I p. 581 optime: 'Ein Mann wie Lucian', inquit, 'hat in seinem römischen Amte des Lateins nicht bedurft.'

3) Quanta in calamitate romani fuerint praefecti, cum in graecis provinciis versantes graecam linguam non didicissent, cognoscitur ex Philostrati vit. Apoll. V, 34, 4, ubi Apollonius festive narrat: '*κατὰ τοὺς χρόνους, οὓς ἐν Πελοποννήσῳ διητώμην, ἡγεῖτο τῆς Ἑλλάδος ἄνθρωπος οὐκ εἰδὼς τὰ Ἑλλήνων, καὶ οὐδ' οἱ Ἕλληνές τι ἐκείνου ξυνίεσαν. ἔσφηλεν οὖν καὶ ἐσφάλη τὰ πλεῖστα· οἱ γὰρ ξύνεδροί τε καὶ κοινωνοὶ τῆς ἐν τοῖς δικαστηρίοις γνώμης ἐκαπήλευον τὰς δίκας διαλαβόντες τὸν ἡγεμόνα ὥσπερ ἀνδράποδον.*'

est neque equidem nego. Itaque eum in l. d. hist. conscr. c. 21. graeca nomina a latinis distinguere potuisse nemo credo admirabitur.

Deinde Schwarzius, ut sententiam suam aliqua specie illuminet, pergit: 'Lucian, der viele Jahre in Italien und Gallien verlebt, der die römischen Sitten und Gebräuche im Nigrinus mit dem treffenden Pinsel eines eindringenden Beobachters gemalt, der in Rom mit einflussreichen Staatsmännern (z. B. Rutillian im Alexander) verkehrt hat...' De his omnibus quid censendum sit, paulo diligentius disseram.

Atque primum quidem de Gallia tam pauca inveniuntur in Luciani scriptis, ut per plures annos eum ibi versatum esse nullo modo constet. Legimus enim in Bis Acc. c. 27 verba Rhetorices haec: '*καὶ τὰ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Ἰωνίας μέτρια, ἐς δὲ τὴν Ἰόνιον συνδιέπλευσα καὶ τὰ τελευταῖα μέχρι τῆς κελτικῆς συναπάρασα εὐπορεῖσθαι ἐποίησα..*' et in Apol. c. 15 Lucianus: '*Ὃν πρὸ πολλοῦ ᾔδεις ἐπὶ ῥητορικῇ δημοσίᾳ μεγίστας μισθοφορὰς ἐνεγκάμενον, ὁπότε κατὰ θέαν τοῦ ἑσπερίου Ὠκεανοῦ καὶ τὴν κελτικὴν ἅμα ἐπιὼν ἐνέτυχες ἡμῖν τοῖς μεγαλομίσθοις τῶν σοφιστῶν ἐναριθμουμένοις.*' Haec omnia de peregrinatione Luciani narrantur. Iter in Eridano flumine factum in Electr. c. 2 et 4 describitur. Quibus minime quae in lepidissima narratiuncula '*Ἡρακλῆς* inscripta commemorantur, repugnant. In itinere enim versanti Luciano contigit, ut '*φιλόσοφος τῶν ἐπιχωρίων*'[1] — graece nostrum, non latine allocutus — imaginem Herculis gallici illustraret. Haec omnia quae de Gallia referuntur, habemus: nusquam igitur uno diutius loco versatus esse Samosatensis traditur, nedum habeamus, quod cum Planckio de longinqua Lugduni habitatione cogitemus.[2]

1) ex Sommerbrodtii coniectura, cf. Lucianea p. 157 et p. 89 seq., pro codd. lect. *τὰ ἐπιχώρια*.

2) cf. Quaestt. Luc. p. 7: 'Lugduni per decem fere annos fuisse suspicor Lucianum, qua in urbe ut ex Irenaeo et Eusebio colligi potest, florebant tum artium liberalium studia.' Sed hoc ex verbis, quae

Iam videamus de Italia. Ubi Lucianum fuisse quanquam duobus tantum locis aperte dicit,[1] tamen ex compluribus libellis colligitur. In Italia enim miseros quosdam mercede conductos vidit[2]: sed omnia, quae de rebus Romanorum in libello, ad quem specto, narrat, non se ipsum expertum esse, sed ab illis Graeculis comperisse affirmat.[3]

At Schwarzio non iste libellus in animo erat, cum a Luciano mores consuetudinesque Romanorum acutissime depictos esse diceret, sed Nigrinus.[4] Quid? In Nigrino vero Lucianus nonne pluribus quam in l. de merc. cond. confirmavit, non semet ipsum de moribus romanis disserturum esse, sed Nigrinum philosophum, a quo paulo ante haec omnia audivisset? Se ipsum non poëtam tragoediae habendum esse, sed histrionem tantum, qui quantum memoria valeret, ostendere vellet.[5] Sed nescio an Schwarzius Nigrini ob eam causam mentionem fecerit, quod ex eo Lucianum diutius prope Romam urbem vixisse demonstrari videatur. Compluribus enim locis collatis[6] videmus, urbem

sunt: '*ἐπὶ ῥητορικῇ δημοσίᾳ*' minime concludi licet. Immo adiectivum *δημόσιος* de artificibus peregrinantibus usurpatur in Harmon. c. 3: *δημόσιόν τι ἐπιδεικνύμενοι.* Non ignoro, Planckio aliisque cordi esse, ut circiter duo lustra vitae Luciani certo domicilio tribuantur: qua tamen in re melius foret, Suidam quamvis parum criticum respicere quam prorsus incerta atque inania coniectare.

1) Bis Accusati, quem supra exscripsi et Herod. c. 5: *ἔστιν ἡ εἰκὼν ἐν Ἰταλίᾳ, κἀγὼ εἶδον.*

2) de merc. cond. c. 1: *πολλοὶ τῶν ἐς τὸν τοιοῦτον βίον τοῦτον ἐμπεπτωκότων ἐξηγόρευον πρός με, οἱ μὲν ἔτι ἐν τῷ κακῷ ὄντες, ἀποδυρόμενοι ὁπόσα καὶ ὁποῖα ἔπασχον, οἱ δὲ ὥσπερ ἐκ δεσμωτηρίου τινὸς ἀποδράντες οὐκ ἀήδως μνημονεύοντες ὧν ἐπεπόνθεσαν.*

3) cf. c. 1: *οὐκ αὐτὸς μὰ Δία τοῦ τοιούτου πειραθείς.*

4) Attamen Fritschius in edit. Luc. III, 2 p. LXXIX rectissime de similitudine et argumenti et tractationis Nigrini et libelli de merc. cond. verba fecit.

5) cf. c. 9.

6) cf. c. 1: *ὡς σεμνὸς ἡμῖν σφόδρα καὶ μετέωρος ἐπανελήλυθας*, c. 2: *ἐστάλην μὲν εὐθὺ τῆς πόλεως βουλόμενος ἰατρὸν ὀφθαλμῶν θεάσασθαί τινα· τὸ γάρ μοι πάθος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ ἐπετείνατο.* quibuscum cf. quae in fine sunt: *ἐπὶ τὸν ἰρώσαντα ἐλθόντας ἰᾶσθαι παρακαλεῖν.*

quae quin Roma fuerit non dubium est, proxime afuisse a loco, quo Lucianus se ipse cum amico facit colloquentem. Cur vero ruri Lucianus vixerit, quae ratio vivendi a consuetudine sophistarum mercedis causa in itineribus versantium alienissima fuit, nescio: nisi affectu oculorum commotus est. Sed ne minimum quidem usum Luciano fuisse cum quopiam Romano e Nigrino cognoscitur: cum et Nigrinus, qui talia de Roma narret, et amicus, qui maledictis eius summo gaudio afficiatur, Romanorum osores sese ostendant acerrimos. Deinde vero, si modo nihil eorum, quae ex hoc dialogo concludi possunt, omittendum videtur, non intellego, qua de causa Nigrinus omnia et in viis et in domibus Romanorum cotidie facta Luciano exposuerit, si hic res romanas aliquantulum et ipse iam cognitas habuit. Quanquam quid loquor? ficta esse in hoc dialogo omnia, quibus loca et tempora et homines describuntur, ab auctore, Atheniensium voluntatem intuente, ne in se ipse odium maledici hominis contraheret, quis est, quin videat?[1] Sed ut Lucianum res romanas ita, ut in Nigrino eas depinxit, ipsum compertas habuisse credere velim, tamen nequaquam hinc efficitur, eum in vitae romanae funditus pernoscendae studio bene versatum esse. Quicunque enim dialogum de quo agimus considerate perlegit, non dubito, quin narrata omnia admodum leviter perstricta atque fervidiore animo quam pro veritate in laudem Athenarum conversa esse concedat. Itaque non tam 'observatorem subtilem' in Nigrino equidem video quam cavillatorem obtrectatoremque ingeniosum, qui singula, quae de depravata vivendi ratione Romanorum in omnium memoria exstiterunt atque ore, quasi ubique decerpta collegit atque Athenis contra in caelum elatis illustravit.

Quid dicam de argumento quod Schwarzius deinceps attulit verbis: 'der in Rom mit einflussreichen Staatsmännern (z. B. Rutillianus im Alexander) verkehrt hat'?

1) Croisetus tamen omnia quae in Nigrino narrantur vera facta esse putat, cf. Mém. de l'Acad. de Montpellier t. VI (1878) et in l. Essai sur Lucien p. 9 seqq.

Primum dicendum est, neque a Schwarzio neque ab alio e scriptis Lucianeis ullum virum post Rutillianum erui posse, quem in re publica versantem Lucianus Romae convenerit.

Rutillianum igitur Lucianus a nuptiis, quas cum Alexandri filia paravit, dehortatus est.[1] Rutillianus autem Romae erat[2]: ergo Lucianus quoque aliquamdiu Romae commoratus est. Certissime, hoc non nego, sed nullo modo ex eo colligi licet, quamdiu illic fuerit. Sophistas enim peregrinantes celerrime et ipsum imperatorem et alios viros illustres[3] cognovisse ex Philostrati vitt. Soph. facile est intellectu. Namque illis temporibus graeca eruditio Romae tantopere vigebat, ut facile qui non nisi graece loqui didicisset, diu Romae commorari et viris romanis nobilissimis familiariter uti posset. Tum vero Lucianum ut erat inimicissimus mendacio atque superstitioni, tale consilium dedisse mihi quidem videtur consentaneum, etiamsi nondum longinquus usus sibi intercessisset ac familiaritas cum Rutilliano: cum praesertim veteres neque tanta cautione vituperare neque laudare tanta temeritate quanta recentiores solitos esse ex Samosatensis ipsius libellis passim discatur. Atque etiam Rutillianus, qui illo consilio neglecto puellam tamen in matrimonium duxit, Lucianum parum novit: an oraculum eum petiturum fuisse putas ab Alexandro de Luciano ipso, si cum eo iam diutius vixisset?[4] Denique Rutillianus sermonis graeci compos erat, cui cum Alexander graeca reddidisset responsa, ab eo graeca quaesita esse constat.[5]

Itaque usque adeo nihil necessitatis video, cur Lucianum bene latina scivisse credamus. Tum vero in primis statuendum est, omnes fere eius aetatis auctores graecos latina parum didicisse. Quod ni fallor e Luciano ipso

1) Alex. c. 54.

2) Alex. c. 30. 35.

3) Talem fuisse Rutillianum e Luciano satis constat. Eum consulem anni 169 p. Chr. fuisse suspicor: cf. Klein, fasti consulares p. 78.

4) Alex. c. 54.

5) Alex. c. 51.

cognoscitur, qui talia verba facit de omnium Graecorum '*πεπαιδευμένων*' scientia, ut suum ipsius scientiae statum indicasse videatur, cf. de merc. cond. c. 24: '*καὶ οὐκ αἰσχύνῃ ἐν τοιούτῳ πλήθει Ῥωμαϊκῷ μόνος ξενίζων τῷ τρίβωνι καὶ πονηρῶς τὴν Ῥωμαίων φωνὴν βαρβαρίζων;* Dubium non est, quin hoc *βαρβαρίζειν* iis quoque Graecis attribuendum sit, qui diutius in Italia versati sint, nisi omnino sermonis latini ignari manebant: cuius rei exempla recentioris quoque temporis populique praesto sunt. Sic Plutarchus, ut exemplum afferam notissimum, etsi rerum romanarum studiosissimus erat, tamen '*ὀψὲ καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας*' linguam latinam didicit.[1] Atque si perscrutamur scripta Lucianea, num reperiri possint, quae ex libris auctorum romanorum seu pedestrium seu poëtarum sint desumpta, prorsus nihil reperiemus. Melius igitur quam Wielandius, qui dissimulatam esse a Graecis cognitionem Romanorum putat,[2] Fr. A. Wolfius et Sieversius Graecos eorum temporum non modo non imitatos esse literas romanas, sed ne legisse quidem iudicaverunt.[3] Itaque Ziegelerus, cum permulta afferat, quae Lucianus e graecis omnium scriptoribus temporum hauserit, de romanis nihil investigare potuit depromptum.[4]

Deinde, ut, quid Lucianus de Romanis senserit, forsitan paulo dilucidius perspiciamus, videamus, quomodo rerum gestarum romanarum veterisque memoriae cognoverit ordinem.

---

1) v. Demosth. 2. Cat. mai. 7.

2) ad d. merc. cond. 25.

3) Wolfius in ann. ad Hor. Sat. I, 1, 15. Sieversius in vita Libanii p. 12, cf. Cramer, diss. de studiis, quae veteres ad aliarum gentium contulerint linguas. Sundiae 1844 p. 18.

4) in comment. de Luc. poëtarum iudice et imitatore p. 43: 'scriptor aliquis latinus num a Luciano expressus sit, diu multumque quaesivi, sed frustra.' Verba quae Iacobitzius ad Alex. c. 12 quasi romana e Luciano affert, recte intellecta esse negat Ziegelerus p. 44. Neque igitur operae pretium est, pluribus Iacobitzium refellere aliosve similiter iudicantes, ut Grauertum, qui ait Anal. p. 162: 'den in der lateinischen Literatur so bewanderten Lucian.'

Ex antiquorum regum numero nominantur tres in Macrobiis c. 8: '*Ὁμιλίλιος Νουμᾶς ὁ εὐδαιμονέστατος τῶν Ῥωμαίων βασιλέων, Σέρβιος Τούλλιος, Ταρκύνιος ὁ τελευταῖος Ῥωμαίων βασιλεύς.*' Sed iste libellus omnium vv. dd. consensu subditicius putatur: quod his ipsis Romanorum nominibus allatis iam demonstratur. Nam quantum distet ratio commemorandi romana in loco vere Lucianeo ab illo spurio, ut videas, velim conferas Ver. Hist. II, 17: '*βαρβάρους δὲ Κύρους τε ἀμφοτέρους καὶ τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν καὶ τὸν Θρᾷκα Ζάμολξιν καὶ Νουμᾶν τὸν Ἰταλιώτην.*'[1] Numa igitur hoc loco neque rex est neque Romanus: *βάρβαρος* est ex eorum numero, qui vel sapientes existimati vel Graecis amici in insula beatorum versantur.

De secundo vero loco, quo Numa nominatur, valde ambigo. Verba enim in Apophr. c. 8 sunt haec: '*ἐνθένδε ἦν μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχή, μᾶλλον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς μεγάλης νουμηνίας τρίτη, ἐν ᾗ οἱ Ῥωμαῖοι κατά τι ἀρχαῖον εὔχονταί τε αὐτοὶ ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ ἔτους εὐχάς τινας καὶ θύουσι, Νουμᾶ*[2] *τοῦ βασιλέως καταστησαμένου τὰς ἱερουργίας αὐτοῖς, καὶ πεπιστεύκασι τοὺς θεοὺς ἐν ἐκείνῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ χρημαίζειν τοῖς εὐχομένοις. ἐν τοιαύτῃ τοίνυν ἑορτῇ καὶ ἱερομηνίᾳ ὁ τότε γελάσας*' κτλ.

Enuntiato igitur relativo: *ἐν ᾗ ... εὐχομένοις* miro quodam modo narratione interrupta de Romanorum antiquitatibus exponit Lucianus, quod alio loco nusquam fecit.[3]

1) Non dubito, quin Cyrus maior natu beatitudinem suam illi libro Xenophontis debeat. Numae vero nomen et personam Lucianus nescio an ex Pythagoreorum libris noverit, quos accurate legit, cf. pr. lapsu c. 5. — Zamolxis Pythagorae servus ac discipulus erat, cf. Iamblichum Vit. Pyth. 173.

2) codd. AEF hoc loco exhibent: *θυουσιν αμα*, quod respiciendum esset, nisi A in Apophrade pessimus videretur.

3) Uno tantum loco antiqua institutio romana commemoratur, in l. de Salt. c. 20: '*ἐπὶ τούτοις δίκαιον μηδὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν θεῶν Ἄρει οἱ Σάλιοι καλούμενοι — ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα — ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην.*' In hoc libro, in quem tam multa

Itaque facere non possum, quin omnia ea, quae sunt post ἐν ᾗ usque ad v. ἱερομηνίᾳ pro interpolatione Christiani cuiusvis habeam. Neque enim probabile est, Lucianum, quamvis superstitionis irrisor fuerit, tantopere miratum esse hanc religionem, cum etiam apud Graecos antiquitus certis diebus di maxime colerentur, ut tali rei arridens diceret: 'πεπιστεύκασι τοὺς θεοὺς ἐν ἐκείνῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ χρηματίζειν τοῖς εὐχομένοις.' Haec ni fallor ex Christiana cogitatione exorta sunt: quod eo veri similius est, quia ille dies, qui 'votorum nuncupatio' vocabatur, usque ad VII. saec. p. Ch. celebratus est.[1] Deinde hoc enuntiatum recedit a scribendi usu Lucianeo, quod ad vocem Ῥωμαῖοι articulus additur. Statuendum enim est, rhetores graecos Lucianeae aetatis v. Ῥωμαῖοι sine articulo usurpare.[2] Ideoque a Luciano, — Macrobiorum si rationem non habemus — semper articulus omittitur excepto uno loco, Imag. c. 17, ubi articulus 'τῶν' in 'νῦν' mutandus videtur.[3]

---

de saltandi arte undique collecta sunt, romana prorsus praetermitti non potuerunt. Itaque non interrumpunt illa verba narrationem, sed complent. Ceterum haec quoque a graecarum rerum memoria profecta esse possunt, cf. Lobeck, Aglaoph. II p. 1292. — At aliis de causis illum libellum de salt. genuinum esse cum Bekkero Schmiedero Fritzschio non puto.

1) cf. Mommsen in Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1850 p. 66.

2) Itaque Cassius Dio in narratione historica semper addit articulum ad v. Ῥωμαῖοι, (nisi praedicative aut partitive ponitur), in orationibus contra insertis opprimit, nisi ut gravior fiat oratio, cf. 52, 9: ἡμεῖς γὰρ αὐτοὶ, οἱ Ῥωμαῖοι. et 38, 43: τὸν ἀνθύπατον τῶν Ῥωμαίων; aut necessitate coactus grammatica, 38, 38: οἱ μετὰ ταῦτα Ῥωμαῖοι, 53, 8: τοὺς πάλαι Ῥωμαίους. — Nec vero in Aristide rhetore articulus cum v. Ῥωμαῖοι usquam coniungitur neque in Philostrato: nam quo uno loco exstat in vit. Apoll. 8, 27, epistula Nervae refertur. In Maximo Tyrio v. Ῥωμαῖοι omnino non invenitur. Ceteris gentium nominibus et a Luciano et ab aliis articulus modo additur modo omittitur.

3) verba sunt: οὐ γὰρ ἴσον οὐδὲ ἐγγὺς Ἀθηναίων ἡ τότε πολιτεία καὶ ἡ παροῦσα τῶν Ῥωμαίων δύναμις. — Cf. [Luc.] Demosth. enc. 43: παρὼν εἶναι νῦν. Alios locos quibus νῦν additur ad v. παρεῖναι exhibet Henr. Steph. lex.

Sed hunc locum adhuc in medio relinquamus: iam videamus, quaenam Samosatensis de rei publicae historia attulerit. Duo tantum nomina invenimus: Scipionis et Sullae. Ut ab hoc ordiar: Sullae bis mentionem facit, sed ita, ut non gloriae romanae amplificandae sed odii ac fastidii excitandi causa nominari videatur. De artificiis enim a Sulla correptis Romamque deportatis agitur et in l. adv. Ind. c. 4, ubi ille *ὁ Σύλλας* tantum vocatur, et in Zeux. c. 3, ubi *Σύλλας ὁ Ῥωμαίων στρατηγός* nominatur. Itaque hoc facinus a Luciano non e romanarum rerum memoria, sed e graecarum compertum esse quis est, quin videat?

De Scipione vero quid sentiam, paulo uberius mihi disputandum esse puto. Dial. mort. XII Alexander et Hannibal de prioris sedis iure altercantes ad Minoem accedunt, ut fiat litis arbiter. Apud Minoem uterque, oratiuncula paris longitudinis vel ad offensionem adversarii vel ad commendationem sui habita, merita sua illustrat. Tum cum Alexander, qui posterior verba facit, in fine: '*εἴρηκα*', inquit, '*σὺ δὲ, ὦ Μίνως, δίκαζε· ἱκανὰ γὰρ ἀπὸ πολλῶν καὶ ταῦτα*', subito Scipio intercedit verbis: '*μὴ πρότερον ἢ μὴ καὶ ἐμοῦ ἀκούσῃς.*' Hic tamen res gestas non item verbis dilatat, sed paucis tantum adumbrat. Denique Minos Alexandrum primum, secundum Scipionem, tertium Hannibalem censendum esse iudicat.

Complura[1] sunt quae in hoc dialogo displiceant. Primum quidem miramur, quod Scipio solus a Luciano unus ex omnium Romanorum numero, non solum in mortuorum

1) In eo tamen quod Scipionem maiorem cum minore confudit, fortasse non offendendum, quia hic error ab antiquissimis temporibus usque ad sequiora saepius committitur; cf. loc. interpol. Hor. carm. IV, 8, 15 seqq. et Lehmannum in edit. dial. mort. (1822) p. 567 annotantem: 'in quem errorem etiam non indoctissimos homines incidisse memini.' Sic in translatione dialogi nostri, quae saec. XV confecta est (vid. infra), et pugna ad Zamam commissa et bellum Numantinum commemorantur facta eiusdem imperatoris.

dialogis, verum etiam in tota libellorum congerie laude aliqua ornetur.[1]

Deinde nescio an Lucianus tertiae quoque personae certanti orationem eiusdem longitudinis attribuerit, atque etiam in prooemio dialogi iam de ea verba fecerit. Scipione accedente illam pulcram, qua plerique placent Samosatensis dialogi, concinnitatem irritam fieri iam is v. d. sensit, qui med. saec. XV., ni prius, dialogum XII. in sermonem latinum transtulit, cum orationem Scipionis ad eandem atque Alexandri Hannibalisque produceret longitudinem: quod rectissime factum esse concedes, si quidem cum Fritzschio Lucianum 'hic ne esse quidem satyricum, sed totum prope rhetoricum' putaveris.[2]

Sed iam graviora addamus. Iterum enim est mentio eiusdem certaminis facta: in Ver. Hist. II, 9, ubi verba leguntur haec: '*τρίτη δ' ἐδικάσθη περὶ προεδρίας Ἀλεξάνδρῳ τε τῷ Φιλίππου καὶ Ἀννίβᾳ τῷ Καρχηδονίῳ, καὶ ἔδοξε προέχειν ὁ Ἀλέξανδρος.*' Itaque cum nemo credo dubitet, quin Ver. Hist. libri post dialogos mortuorum conscripti sint, verbis allatis quasi nutu auctor dialogum XII. iam pridem in publicum emissum designat. Quomodo igitur eo loco Scipionem silentio praeterire potuit? Hemsterhusius ille quidem ad XII. dialogum c. 1 annotat: 'ibi (scil. in ver. hist.) de Scipione nihil, quippe Romanorum nullos cum eo delatus fuit Lucianus, insula Beatorum habuit.' Dicendum erat: 'barbarorum nullos;' at eandem ob causam nihil dicere potuit de Hannibale, qui ne ipse quidem in c. 17, ubi barbari beati enumerantur, commemoratus est.

Accedit aliud. Iam Wielandius rectissime annotavit ad c. 7: 'Man braucht nur die beiden Reden des Hannibals und Alexanders gegen einander zu stellen, um zu sehen, dafs

---

1) Aliud est, si Arrianus, Luciani amicus, laudatur: Alex. c. 2. cf. c. 55. De Augusti laudibus v. infra.

2) in edit. III, 2, p. 13. Quod si verum esset, singulariter factum esset in omnium dial. mort. numero.

Lukianus dem Africaner den Vorzug giebt.' Omnia fere, quae in dialogo XII. ab utroque praedicantur, mihi exscribenda erant, si, quam praeclarum illud Wielandii esset, ostendere vellem. Subtilissima ea notata esse sine dubio neminem fugiet, qui post XII. dialogum, eos qui insequuntur, XIII. et XIV. perlegerit, e quibus item Alexandrum non ita magni a Luciano aestimatum esse elucet. Macedonum autem regem nostro quoque dialogo a Luciano hominem vanum ac gloriosum describi, optime et universae color orationis et verba elata Alexandri demonstrant haec: c. 4.: '*ἱκανὴ γὰρ ἡ φήμη*[1] *διδάξαι σε, οἷος μὲν ἐγὼ βασιλεὺς, οἷος δὲ οὗτος λῃστὴς ἐγένετο . . . δεινὸν ἡγησάμενος, εἰ μὴ ἁπάντων κρατήσαιμι*' . . . c. 5.: '*ὦ Μίνως, ὑμεῖς ἴστε, ὅσους ὑμῖν νεκροὺς ἐπὶ μίας ἡμέρας κατέπεμψα*' . . . c. 6.: '*τί ἂν μέγα ἔτραξα Ἰταλίαν ἀναιμωτὶ λαβὼν καὶ Λιβύην καὶ τὰ μέχρι Γάδειραν ὑπαγόμενος*' *κτλ.* Quae cum ita sint, lis Alexandri et Hannibalis non ita intellegenda est, ut serio accuratum ordinem, uter maior sit dux, scriptor constituere voluerit, quod quidem — Luciani indignum — pueris fortasse placeat, sed ut *εἰρωνεία*, ut graeco vocabulo utar, lepidissima atque vere Lucianea in ea inveniatur. Minos igitur quamquam ab aequissimo quoque iudice Hannibali prior sedes attribuenda erat, tamen Alexandrum, quem inferiorem fore ex ipsius oratione omnes lectores suspicantur, Africano sine ulla dubitatione — Graecus Graecum — praeponit. Atque eodem modo Lucianus de Homeri cum Hesiodo certamine cavillatur in Ver. Hist. II, 22: '*ποιητῶν δὲ τῇ μὲν ἀληθείᾳ παρὰ πολὺ ἐκράτει Ὅμηρος, ἐνίκησε δὲ ὅμως Ἡσίοδος*. Si autem Scipionis verba, quibus nihil severius esse potest, adduntur, de vi satyrica cogitari non iam licet, sed de iusta imperatorum aestimatione. Tum vero Minois iudicium, ut est, plane ineptum evadit,

1) Nescio an his verbis designentur studia rerum Alexandri magni, quae ea aetate cum ab aliis tum ab ipsis imperatoribus romanis ridiculo quodam modo colebantur. cf. Hertzberg, Untergang des Hellenismus p. 21 seqq. et Lumbroso in Memor. della r. acad. delle scienze di Torino. Ser. II, t. 27, p. 537.

quia certe Scipio primus collocandus fuit: quod is, qui saec. XV. dialogum in latinum sermonem vertendo commutavit, recte sibi constans fecit.

Tum vero quaerendum videtur, quid sit illud, in quo quasi certamen sit controversiae imperatorum. Lis enim conflata est *περὶ προεδρίας*, h. e. de sede praecipua. Neque igitur de pluribus sedibus cogitandum est, quarum primae inferior dignitate secunda, secundae tertia sit, quod in vocabulo q. e. *προεδρία* minime inest. Non dubito, quin Luciano ante oculos versatum sit Aeschyli Euripidisque certamen *περὶ τραγῳδικοῦ θρόνου*;[1] neque vero illic inter tres lis est, neque inde, quod Euripides cum Aeschylo poëtarum praeside certat, efficitur, eum certe secundum putandum esse poëtam: de secundi vel tertii aestimatione omnino non disputatur. Eodemque modo apud Lucianum unus praeses eligendus est, qui omnium imperatorum principatum, *θρόνον στρατηγικόν*, ut ita dicam, apud inferos obtineat. Iudicium autem Minois, qui tres ordine imperatores disponit, etiam hac ratione ineptum est: non enim est *κρίσις περὶ προεδρίας*.

In codicibus vero, qui quidem accurate collati sint, omnia fere vestigia interpolationis obliterata sunt: nisi quid habet momenti id quod Fritzschius notavit,[2] titulum dialogi XII. esse in vetustissimo cod. Vindob. 123 (saec. X.) '*Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀννίβου.*' Itemque Herwerdenus primus vidit,[3] in cod. Marc. 434 verba: '*Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀννίβου*' a priore manu scripta esse, reliqua '*Μίνωος καὶ Σκιπίωνος*' a recentiore addita. Denique respiciendum est, dialogos mortuorum multis vitiis laborare, id quod valeat potissimum de partibus eorum extremis.[4]

Ceterum memoria repetenda est, in tribus illis libris Luciani scripta nonnulla latino sermone continentibus, qui annis 1494, 1497, 1516 editi sunt, dial. mort. XII. unum

1) Ar. Ran. 769. cf. Ziegeler l. c. p. 21 seq.
2) Fritzschius in edit. III, 2 p. 7.
3) in l. Plutarchea et Lucianea p. 57.
4) cf. Fritzsch. in edit. III, 2 p. I seq.

extare ex omnibus scriptis vere Lucianeis, qui ter typis expressus sit. Itaque luce clarius perspicitur, cum illis temporibus persaepe in scholis lectum esse,[1] quo facilius, quomodo factum sit, ut tantopere sit commutatus, explicatur.

Quae cum ita sint, etiam prioribus temporibus, quoad graece legebatur, dialogum saepius tractatum atque commutatum esse probabile est.[2] Lector igitur vel magister scholae aliquis, dialogo male intellecto, Scipionis nomen desiderans, cum recordatus esset narratiunculam quae de Hannibalis et Scipionis colloquio tradebatur,[3] conclusione Lucianea suppressa, ea, quae nunc habemus, addidit. Nec tamen ausus iam est ita mutare ordinem, ut Alexandrum, cui primae a Luciano delatae erant, omnino neglegeret, aut tam multa addere, ut sermo Scipionis cum aliis adaequaretur.

Restat, ut de imperatoribus, quae Lucianus commemoraverit, pauca addantur. Augustus in. l. de saltat. c. 34 nominatus est, cum ex eius temporibus ars saltandi floreret. Deinde vero fortasse primo obtutu mirum videtur, quod in l. pr. laps. c. 18 inest narratiuncula e vita Augusti desumpta, quae in laudem magni Romanorum imperatoris affertur. Sed hoc ni fallor bene explicari potest. Nam cum auctor rem haberet cum nobili Romano,[4] non amicitia commotus, sed propemodum coactus necessitudine excusandi, facere non

1) Editiones Avenion. a. 1497 et Lips. 1516 expressas in usum scholarum editas esse aperte in praefationibus dicitur.

2) Lucianum iam saec. IV. a correctore et atticista audacter recensitum esse Fritzschius affirmat in edit. I, 1, p. IV. cf. Croisetum in Annal. Burdelot. 1881 p. 78 seqq. et Rohdium in Philol. Anz. 1872 p. 488: 'Es schlichen sich sehr bald *ψευδεπίγραφα* ein. Man verfuhr darin sehr leichtsinnig im Sophistenzeitalter.'

3) cf. Fritzschium in edit. III, 2, p. 13.

4) Wielandius (V, 244) multum sudavit in verbis quae sunt in fine: '*ὦ φίλτατε Ἀσκληπιέ*' explicandis. Opinatus enim est, hoc nomine nuncupatum esse virum ad quem scriberet Lucianus. Fefellit Wielandium, iam in Syll. Reitz. I p. LX an. b. (ed. 1743) dictum esse: 'ipsum Aesculapium medicinae inventorem alloquitur.' Ne quis autem miretur, quod vocabulo *φίλτατε* allocutus sit deum, quippe qui '*φιλανθρωπότατος*' (cf. Aelian. de nat. an. 9, 33) semibusque carissimus sit. Atque

potuit, ut aliud temperantiae simulacrum nobilissimo Romano proponeret, nisi ipsum Divum quem omnes sibi imitandum sumpserunt. Attamen hanc quoque narrationem non latine sed graece scriptam fuisse, cum Lucianus eam legeret, luce clarius demonstrari potest. Quid enim? libertus cum festinandi, ut gratias ageret, studio concitatus linguae lapsu in illa '*κακῶς*' et '*ἀδίκως*' incidisset, num aliud quidquam in animo habuit, nisi graeca quae sunt '*καλῶς*' et '*δικαίως*' verba? Atque etiam Augustum, quippe qui vv. '*γλῶττα*' et '*γνώμη*' luderet, graece respondisse manifestum est.

Ex aliorum omnium, qui ante Samosatensis tempora vixerunt, imperatorum numero Nero solus in l. de saltat. cc. 63 et 64 commemoratur, non sua tamen, sed saltatoris cuiusdam causa, qui eo tempore floruit.[1] Ex aequalibus Marcum nominat in Alex. c. 48. Nomine omisso de imperatore quodam (de Pio fortasse) loquitur in l. d. Peregr. morte c. 18. Saepius bella iis temporibus gesta commemorari consentaneum est,[2] sed ne verbum quidem dicitur de iis, quae antea gesta sunt a Romanis praeclara.

Quod fortuito factum esse certe nemo cogitabit. Itaque Cobetus in var. lect. p. 351: 'Nonnunquam', inquit, 'Lucianus rodit Romanos et romana vitia, sed tecte et cautissime, et in palliata fabula gentem togatam obscure perstringit' et porro: 'passim in fictis tyrannorum personis et nominibus terrarum dominos castigat vel ridet.'

Quae quamquam partim paulo artificiosius excogitata videntur,[3] in universum rationem, quae inter Lucianum et Romanos intercedebat, rectissime designant. Veritus enim

---

etiam Arist. rhet. I, p. 53 (Dind.) exclamat: '*ὦ φίλτατε Ἡράκλεις*'. cf. Votum Atheniensium apud Marcum Antoninum comment. V, 7: '*ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ*'.

1) Dial. qui vocatur *Νέρων ἢ περὶ τῆς ὀρυχῆς τοῦ Ἰσθμοῦ* spurium esse inter omnes constat.

2) Alex. c. 48. de hist. conscr. 15. 25. 27.

3) Sic in tyrannorum personis nihil de Romanis: Platonem secutus eos castigavit Lucianus, cf. Fritzsch. in edit. III, 2, p. 149.

atque aspernatus est Lucianus commemorare res Romanorum, aut, siquando fecit, ignominiae potius quam gloriae causa est locutus.

IV.

De Demonacte philosopho.

His proximis annis vv. dd. de Demonacte saepius disserentes vel diversissimas protulerunt sententias cum de auctore vitae Demonactis eiusque consilio, tum de Demonacte ipso, num illis temporibus re vera extiterit. In hanc quam posteriore indicavi loco sententiam mihi ante omnia accuratius inquirendum esse existimo.

A. Schwarzius[1] tota commentatione eaque satis copiosa, ut statim summam sententiae complectar, demonstrare conatus est, Demonactem philosophum nunquam fuisse, sed a Luciano fictum esse, ut exemplum perfecti Cynici aequalibus daret.

Videamus quibus rationibus Schwarzius hanc novam quandam sententiam muniverit.[2]

Primum quidem Schwarzius statuit haec: Dubium esse non potest, quin tota morum ingeniique Demonactis descriptione id agatur, ut perfecti philosophi species ac forma adumbretur. Atqui Lucianus saepius usque ad vitae finem[3] philo-

1) Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1878 p. 561—594. Contra Schwarzium Ziegelerus, pro eo Wichmannus nonnulla scripserunt in Jahrb. f. Phil. 1881. Fritzschius (in edit. III, p. 2, p. I) nuperrime hanc Schwarzii disputationem plane ac prorsus reiecit. Omnes hi vitam Demonactis Luciani libellum esse genuinum, Bernaysius (Luc. u. d. Kyn. p. 108) Bekkerum secutus eum pro subditicio putandum esse existimavit.

2) Quamquam, quod et Schw. ipse annotat, et doct. Solanus ad Dem. c. 1 annotaverat, Olearius in edit. Philostr. (a. 1709) p. 556: 'Si tamen', inquit, 'eius (Luciani) est, quae inter Luciani opera extat de Demonacte fabula.' Solanus autem alia quaedam affert Olearii dicta de Luciano mirabilia.

3) affert locum Apol. c. 15 '*μηδὲ ἄλλῳ γοῦν ἐντετύχηκα τὴν τοῦ σοφοῦ ὑπόσχεσιν ἀποπληροῦντι.*'

sophum summum atque excellentem unquam sibi occurrisse negat: ergo quoniam re vera *βίον Δημώνακτος* Samosatensis conscripsit, Demonactem fictam esse personam oportet. Sed si, quod Schwarzius ipse confirmat,[1] Lucianus non sibi sed Cynicis simulacrum philosophi finxit, quid hoc ad Luciani ipsius sententiam de summa philosophia adipiscenda?

Ceterum Nigrinum quoque egregium fuisse philosophum arbitratus est Lucianus: quod item contra illa verba Apol. 15 repugnat. Neque cum Wichmanno haec repugnantia ita solvi potest, ut dicamus Nigrinum quoque fictam esse personam: nam etsi hoc verum est, Lucianus haud dubie decipere voluit specie historica, ne ipse castigator populi romani esse videretur. Adiciendum igitur erat auctori aliquid de Nigrino in Apologiae loco: si modo hic et tales loci Samosatensis premendi sunt. At si quis nonnullis verbis, cum praesertim prorsus alio tempore scripta sint, tantam vim attribuere volet, semper in qualibuscunque locis huius auctoris haerebit. Certe Lucianus, si quem ipse summum ac perfectum iudicavit philosophum fingere voluisset, non Cynicorum disciplinae sectatorem, sed cuiuslibet alius, velut Epicuri, potius descripsisset. Sed si Cynicis speciem perfectam quandam Cynici ante oculos ponere voluisset, quomodo eclecticum effingere potuit, qui quamquam vulgo in Cynicorum numero habitus esse videtur, tamen Peregrinus Proteus, ipse Cynicus, ei crimini dedit, quod Cynicus non esset? (c. 21.) Atque verbis, quae in c. 5 insunt haec a Schwarzio pro genuinis habita: '*φιλοσοφίας δὲ εἶδος οὐχ ἓν ἀποτεμόμενος, ἀλλὰ πολλὰ ἐς ταὐτὸ καταμίξας οὐ πάνυ τι ἐξέφαινε, τίνι αὐτῶν ἔχαιρεν*,' luce clarius demonstratur, neque Cynicum proponi neque ullius scholae sectatorem,

1) l. c. p. 594: 'Er wollte aber auch den Kynikern nicht seine eigenen Lebensgrundsätze, sondern ihr Ideal vorstellen' et :'Herausgefordert von den durch die *Λιμπέται* neuerdings gereizten und gekränkten Scheinphilosophen, welche sich Kyniker nannten, hielt ihnen Demonax das Ideal eines Kynikers entgegen: und dies ist der Zweck der Schrift.'

sed eclecticum, qui ob eam causam ad Cynicorum disciplinam specie propius accedebat, quod non tam doctrina et subtilitate, quam simplicitate et natura philosophabatur.

Schwarzius igitur eo consilio Demonactis vitam a Luciano scriptam putat, ut optimam philosophi speciem depingeret. Certe ex cc. 1 et 2 elucet, auctorem operam navare, ut exemplum philosophi boni adolescentibus, qui ad philosophiae studium sese dare velint, praesto sit, cf. c. 2: '*ὡς .. οἱ γενναιότατοι τῶν νέων καὶ πρὸς φιλοσοφίαν ὁρῶντες ἔχοιεν .. κανόνα προστίθεσθαι καὶ ζηλοῦν ἐκεῖνον ἄριστον ὧν οἶδα ἐγὼ φιλοσόφων γενόμενον.*' Sed Schwarzius haec ipsa verba pro spuriis habet, cum capita 1 et 2 interpolatori cuidam christiano addicat. Interpolator igitur, non Lucianus, id spectavit, si Schw. sequimur ducem, ut exemplum optimi philosophi constitueret, aut certe, si id quod Luciani consilium fuisse Schwarzius vult, recte intellexit, disertis verbis idem exprimi oportere putavit. Incertissimum autem profecto est, sententiam de libello aliquo fulcire fundamentis, quae potissimum e parte spuria depromenda sunt: ubi enim Lucianum ipsum tale quid dixisse Schwarzius putat? Atque si interpolator ille christianus eandem vim exempli, quam iam in Lucianeo scripto invenit, suis verbis augere voluisset, non intellego, cur omnino libellum retractaturus fuerit.

Deinde Schwarzii sententiam infirmant illa, quibus peculiaris veri hominis vita depingitur. Quid enim? Demonactem Cypri natum esse ecquid ad summi illius philosophi speciem? Nonne Athenis ortum esse magis consentaneum fuisset eum, quem fere semper Athenis vixisse voluit scriptor? Cum praesertim Luciano cordi esse non posset, ut deciperet lectores de persona Demonactis, quem semper in foro Atheniensi versantem finxerat. Sed hoc ne Schwarzium quidem fefellit.[1] Itaque toto caelo distat persona Nigrini, quem peregrinum maxima in urbe in domum inclusum induxit.

1) cf. p. 590: 'Für die gleichzeitigen Griechen gab es hierin keine Täuschung' etc.

Secundo loco Schwarzius,[1] ut fidem historicam Demonacti philosopho detrahat, mirum esse dicit, quod neque aequalium neque insequentium scriptorum quisquam ante Eunapium nominaverit talem virum, qui seditionem in contionem progressus sedavisset, qui toto populo publice lugente mortuus, postea adeo cultus esset, ut lapis quo fessus acquiescere solitus esset, adoraretur. Male, nisi me fallit animus, miratus est. Quaero: quis tandem ante Eunapium Lucianum ipsum commemoravit? Nemo, neque aequalium neque posterorum. Olim vv. dd. hoc explicare studuerunt eo, ut dicerent, Philostratum omnino de eo tacuisse, quod Luciano ob ingenii varietatem infensus fuisset. Sed cum ne hoc quidem demonstrare potuerint, mihi verisimilius videtur, Philostratum tacuisse, quod omnino pauca illa scripta sophistica vel rhetorica a Luciano conscripta esse nesciens, eum in numero sophistarum omnino non haberet. Lucianus enim tanta satyricorum libellorum scriptor gloria florebat, ut mediocrem[2] illam quam rhetor deportaverat, mox prorsus obliteratam esse consentaneum sit. Philostratus vero, si privata ira ita obcaecatus fuisset, certe e. c. Aspasium sophistam, qui ipsius patri inimicissimus fuit,[3] aut silentio praeterisset aut ei maledixisset: attamen moderate et pro

---

1) quem hoc quidem loco Ziegelerus sequitur, Jahrb. f. Phil. 1881 p. 334.

2) Hoc e rhetoricis quae supersunt Lucianeis scriptis et ex eo quod rhetoricam dereliquit constare videtur, etiamsi Suidae testimonium neglegamus. Quae Lucianus ipse de hac re dicit, parum valent. Rhetorices enim sermones, qui in Bis Acc. leguntur, magni momenti esse nemo existimabit. Restant igitur illa Apolog. c. 15 verba, quibus Lucianum magnam gloriam peperisse rhetoricam elucet: sed eximie Fritzschius et acute eo loco verba duabus tantum literis immutatis ad Sabinum refert, quod contextus desiderare videtur. Legendum igitur est: '*εἴ γε ἐπιτιμᾷης, ὃν πρὸ πολλοῦ ᾔδειν ... ἐναριθμούμενος.*' (ed. I, 2 p. 211).

3) de inimicitiis Aspasii et patris Philostrati alibi sese verba fecisse Philostratus dicit: quo in libro, aut uno aut pluribus, nunc amisso Luciani quoque fortasse mentio facta erat.

viri dignitate de eo disseruit in V. S. II, 33. Eodemque modo, si respexerimus Philostratum de patre suo, de Nicagora Atheniensi, de Apsine Phoenice nihil dixisse (V. S. II, 33, 4 fin.), quod de amicis scribens timeret, ut fidem inveniret, hunc scriptorem, quamvis superstitiosum, tamen animi minuti aut angusti fuisse non credemus. Sed si revera Philostratus nihil de Luciano ut de deorum contemptore attulit, simul habemus explicationem, cur de Demonacte quoque tacuerit, qui non secus ac Lucianus cogitavit de dis atque religionibus, quae a Philostrato permagni aestimata sunt.[1] Hoc igitur argumentum Schwarzii nihil valet.

Deinde Schwarzius de fragmentis Demonactis quae in florilegiis graecis non ita rara inveniuntur, pauca addidit. Sed his neque Schwarzius satisfecit, neque, quod valde miror, Ziegelerus neque Wichmannus ea omnino attigerunt, quanquam in hac re cardo quaestionis versatur.

Schwarzius tria tantum dicta Demonactis novit ex Ioan. Stobaeo et Ioan. Damasceno desumpta; cogitasse non videtur nec de Antonii Maximive florilegiis, ne de commentatione Fr. V. Fritzschii, quae Rostochii a. 1864 primum edita nunc demum in editionis viri praestantissimi vol. III. p. 2 pag. X—XXVI repetita est.

Enumerata sunt a Fritzschio fragmenta XXIV, a quibus nonnulla statim secernenda sunt, quia sine dubio aliis philosophis tribuenda sunt. Itaque praetereo fragm. IX. XXIII. XXIV.

Primum fragmentum Fritzschii senarius est: *θνητοὶ γεγῶτες μὴ φρονεῖθ' ὑπὲρ θεούς*, qui ap. Stob. flor. 22, 16 cum lemmate *Δημώνακτος* legitur. Versus aut cuivis poëtae Demonacti attribuendus est, aut nostro Demonacti, quod hoc versu, ab antiquo poëta petito, saepe utebatur. Itaque vix in fragmentis Demonactis perscrutandis respiciendus est.

1) cf. Vit. Dem. c. 11. 23. 27 et Fritzschium ed. III, 2 p. XXVI: 'ipsa religio videtur Demonactis et Luciani quasi quaedam copula fuisse, quorum utrique commune fuit superstitionis odium acerrimum, ut vix statui posset, uter eorum liberius de rebus sentiret divinis.'

Duo vero fragmenta, quae deinde a Stobaeo memoriae tradita sunt, nihil dubitationis admittunt:

fragm. III Fritzschii = Stob. flor. 21, 8: *Δημῶναξ ἐρωτηθεὶς πότε ἤρξατο φιλοσοφεῖν· ὅτε καταγιγνώσκειν, ἔφη, ἐμαυτοῦ ἠρξάμην.*

fragm. IV Fr. = Stob. Eclog. II, 1, 11: *ἐξεταζόντων τινῶν, εἰ ὁ κόσμος ἔμψυχος, καὶ αὖθις εἰ σφαιροειδής· ὑμεῖς, ἔφη, περὶ μὲν τοῦ κόσμου πολυπραγμονεῖτε, περὶ δὲ τῆς ἑαυτῶν ἀκοσμίας οὐ φροντίζετε.* Idem est ap. Antonium Serm. 37 p. 55, 17 (ed. Genev.) et ap. Maximum II p. 600 (ed. Combefis), cum lemmate *Δημώνακτος.*

Sequuntur ea, quae in aliis florilegiis sub nomine Demonactis inveniuntur, apud Stobaeum vero aliis tribuuntur:

fr. XXII Fr. = Anton. p. 278, 19. Max. II p. 579: *ὁ λόγος ὥσπερ πλάστης ἀγαθὸς τῆς ψυχῆς περιτίθησι σχῆμα.* Hic locus a Stobaeo, flor. 81, 13, Socrati tribuitur, cum melius scriptum sit: *ὁ λόγος ὥσπερ πλάστης ἀγαθὸς καλὸν τῇ ψυχῇ περιτίθησι σχῆμα.* Itaque pro fragmento Demonactis habendus non erit.

fr. V Fr. = Anton. p. 222, 48. Max. II, 572: *Δημώνακτος. εἰσί τινες, οἱ τὸν μὲν παρόντα βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ, ὡς ἕτερον βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα.* Sed Stob. flor. 16, 19 idem exhibet cum lemmate *Ἀντιφῶντος* in hunc modum auctum: *εἰσί τινες, οἱ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ, ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα· καὶ ἐν τούτῳ παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται.* Fritzschius p. XVI Demonacti haec verba attribuit, sed quae addit, ut sententiam muniret, mihi quidem parum veri similia videntur. Incredibile enim est, lemma *Ἀντιφῶντος* ex 16, 29 in hunc locum arreptum esse. Probabilius res evenisse videtur sic: Locus attributus erat Antiphonti, sed cum lemma casu aliquo omissum esset, compilator *τῆς βίβλου τῶν παραλλήλων*, qui hoc loco Stobaeum usurpavit, hunc locum ei attribuit auctori, cui antecedens a Stobaeo addictus

erat, i. e. Democrito.[1] Ex nomine Democriti deinceps Demonactis nomen corruptum est, quae duo nomina in hoc libro Parallelon saepius confusa sunt. Sauppius igitur suo iure hunc locum inter Antiphontis fragmenta recepisse mihi videtur.

Addo iam alia duo fragmenta, quae Fritzschius, qui Maximum non respexit, non commemoravit:

1. Max. II p. 539: *Δημώνακτος· ἔνιοι πόλεων μὲν δεσπόζουσι, γυναιξὶ δὲ δουλεύουσιν.* Sed ne hoc quidem Demonactis videtur, cum a Stobaeo bis Democrito tribuatur, flor. 6, 11 et 7, 26, quo posteriore loco leguntur haec: *Ἀνδρεῖος οὐκ ὁ τῶν πολεμίων κρατῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονῶν κρείσσων. ἔνιοι δὲ πολίων μὲν δεσπόζουσι, γυναιξὶ δὲ δουλεύουσιν.*

2. Max. II p. 587: *Δημονάκτ. ὁ αὐτὸς ἐρωτηθεὶς· τίς αὐτοῦ διδάσκαλος γεγονὼς εἴη· τὸ τῶν Ἀθηναίων, ἔφη, βῆμα. ἐμφαίνων ὅτι ἡ διὰ τῶν πραγμάτων ἐμπειρία κρείττων πάσης σοφιστικῆς διδασκαλίας ἐστίν.* Etiam hic locus a Stobaeo flor. 29, 91 rectius affertur cum lemmate *Δημάδους*, ad quem optime quadrat, cf. Bernays. Phokion p. 130.

Haec omnia habemus fragmenta quae in Stobaeo inveniuntur, atque aut ab hoc aut ab aliis Demonacti attribuuntur. Si complectimur omnia, duo tantum restant, quae haud dubie Demonactis sunt. Haec sunt apophthegmata, in quibus Demonax ut tertia persona loquitur: itaque Wachsmuthio assentiemur dicenti[2]: 'Nicht minder ist der Kyniker Demonax, von dem das Parallelenbuch zahlreiche Gnomen citirt, als Schriftsteller dem Stobaeus unbekannt.' Appono deinceps ea fragmenta, quae a Stobaeo omnino

---

1) Eodem modo ap. Max. II, 561 et Anton. p. 80, 7 sententia affertur cum lemmate *Δημοκρίτου*, quae in Aeschinis Ctesiphonteis § 147 invenitur. Apud Stob. flor. 43, 35 recte cum lemmate *Αἰσχίνου* legitur: sed huic quoque loco sententia Democriti antecedit. Cf. Wachsmuth. Stud. z. d. griech. Florilegien p. 150.

2) Wachsmuth. l. c. p. 130.

absunt, sed, ut illa duo priora, in apophthegmatum forma tradita. Inveniuntur autem haec:

fr. XIV Fr. = Anton. p. 6, 23. Max. II, 532. Flor. Lips. 5 p. 12. Arsen. p. 191 (ed. Walz): *τοὺς τῶν σωμάτων ἐπιμελουμένους, ἑαυτῶν δὲ ἀμελοῦντας ὠνείδιζεν ὡς τῶν μὲν οἴκων ἐπιμελουμένους, τῶν δὲ ἐνοίκων ἀμελοῦντας.*

fr. XVI Fr. = Anton. p. 79, 19. Max. II p. 563: *σοφιστοῦ τινος αἰτιωμένου αὐτὸν καὶ λέγοντος· διὰ τί με κακῶς λέγεις; ὅτι μὴ καταφρονεῖς, ἔφη, τοῦ κακῶς λέγοντος.*

fr. XXI Fr. = flor. Lips. p. 4 (Westermann): *αἰτιωμένου τινὸς τῶν ἑταίρων αὐτὸν καὶ φήσαντος· οὐκ ἐχρῆν σε τῷ ἐχθρῷ μου φίλον εἶναι· σὲ μὲν οὖν, ἔφη, οὐκ ἐχρῆν τῷ φίλῳ μου ἐχθρὸν εἶναι.*

Habemus igitur quinque apophthegmata, quae quamquam optime congruunt cum eo Demonacte, qui a Luciano describitur — conferantur cum verbis: '*ὅτε καταγιγνώσκειν ἐμαυτοῦ ἠρξάμην*' ea, quae sunt in c. 3: '*ὅτ' οἰκείας πρὸς τὰ καλὰ ὁρμῆς καὶ ἐμφύτου πρὸς φιλοσοφίαν ἔρωτος ἐκ παίδων κεκινημένος*' et Fritzschius ad fragm. IV — tamen in Luciano ipso non insunt. Fritzschius autem, qui post c. 11 magnam quandam lacunam permulta hausisse putat (cf. p. XXVI), cum dicat, alia 'severa', alia 'iocosa' fuisse apophthegmata, quorum illa abrepta essent lacuna, haec quinque apophthegmata, de quibus agitur, ex nostro libello Lucianeo integro fluxisse arbitratus est. Sed hoc minime verisimile videtur: primum quod Stobaeus Lucianum scriptorem omnino non novit, deinde quod singula 'severa' apophthegmata etiam in 'iocosorum et amoenorum' Luciani numero leguntur, cf. cc. 20. 32. 51. 59. 62. Denique nescio an haec quinque apophthegmata, praecipue quod ap. Fritzsch. XVI. est, non 'severis' illis, quae Fritzschius deperdita voluit, sed potius 'amoenis', sive, ut graeca adscribam verba Luciani: '*τοῖς εὐστόχως τε ἅμα καὶ ἀστείως λελεγμένοις*' (c. 12) apponenda fuerint. Neque igitur dubitandum est, quin haec apophthegmata ex alio quodam fonte hausta sint.

Quae cum ita sint, quoniam aliam atque Luciani collectionem dictorum Demonactis extitisse conspicuum est, num quis etiamnunc de ficta philosophi persona cogitabit, cum praesertim haec quae collegimus florilegii reliqua, quamquam nequaquam pendent e Lucianea vita, optime cum ea congruant?

Videamus nunc quomodo quae supersunt fragmenta Demonactis hanc sententiam fulciant. Sunt autem haec:

fr. VI Fr. = Anton. p. 209, 42. Max. II p. 585 Ioan. Damasc. cf. Stob. ed. Meineke IV p. 196: *Δημώνακτος· οἱ ἀπαίδευτοι καθάπερ οἱ ἁλιευόμενοι ἰχθύες σιγῶσι.*

fr. VII Fr. = Ioan. Damasc. cf. Stob. ed. Mein. IV, 196: *Δημώνακτος, Ὑψαίου καὶ Σωκράτους· τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι, τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι κοσμεῖν δεῖ.* Sed apud Anton. p. 56, 23. Max. II, 585 extat cum lemmate *Δημοκρίτου*. Recte Wachsmuthius l. c. p. 169 nr. 18 hoc dictum in Gnomologium byzantinum *ἐκ τῶν Δημοκρίτου Ἰσοκράτους Ἐπικτήτου* a se restitutum recepit.

fr. VIII Fr. = *ἡ τῶν περιστάσεων ἀνάγκη τοὺς μὲν φίλους δοκιμάζει, τοὺς δὲ ἐχθροὺς ἐλέγχει.* Neque hic locus inter Demonactea putandus est, cum Arsenius solus eum huic philosopho tribuat. Wachsmuthius l. c. p. 192 nr. 155 eum suo iure in '*Δημοκρίτου Ἰσοκράτους Ἐπικτήτου*' dictorum numero collocavit.

fr. X Fr. = *ἐν ἀλλοιρίοις παραδείγμασι παίδευε σεαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ.* Hoc dictum est ap. Anton. p. 39, 1 post alium locum Demonactis et in Arsenio 7, 16^{g} (ed. Gott.) cum lemmate *Δημώνακτος* itemque ap. Max. II, 534 post locum Clitarchi. In flor. Lips. p. 15 (ed. Westermann) idem locus Clitarchi antecedit, noster autem habet lemma '*τοῦ αὐτοῦ*', scil. *Κλειτάρχου*. Apparet, lemma *Δημώνακτος* forte excidisse in libro, quem scriptor florilegii Lips. exscripsit. Dubium igitur esse non potest, quin hoc Demonacti tribuendum sit.

fr. XI Fr. = Arsen. 1, 60^{c}: *Δημώνακτος· αἱ μὲν χελιδόνες εὐδίαν ἡμῖν προσημαίνουσι, οἱ δὲ ἐκ φιλοσοφίας λόγοι*

ἀλυτίαν. Ap. Anton. p. 278, 10 cum lemmate Μοσχίωνος ἀλ Δημώνακτος invenitur. In medio igitur relinquendum est.

fr. XII Fr. = Anton. 6, 19. flor. Lips. p. 12: Δημώνακτος· τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις, ὅσον ἂν ἐφέλῃς τῶν ἡδονῶν. Nihil dubitationis admittere videtur.

fr. XIII Fr. = Anton. 6, 21 flor. Lips. p. 12: Δημώνακτος· αἰσχρὸν μὲν ἐν ἄλλοις ἀποδέχεσθαι τὰς ἀρετὰς, ἐν ἑαυτοῖς δὲ ἔχειν τὰς κακίας. Item.

fr. XV Fr. = Anton. 238, 24. Max. II p. 590: δείκνυσιν μὲν ἡ τροπὴ τὸν καὶ' ἀλήθειαν ἀνδρεῖον, ἡ δὲ ἀτυχία τὸν φρόνιμον. Item.

fr. XVII Fr. = Anton. 156, 54. Max. II p. 647: τοῖς ὠσὶ πλέον ἢ τῇ γλώττῃ χρῶ. Item.

fr. XVIII Fr. = Anton. 217, 19. Arsen. 7, 7ª: ἐλάσσω κακὰ πάσχουσιν οἱ ἄνθρωποι ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἢ ὑπὸ τῶν φίλων· τοὺς μὲν γὰρ ἐχθροὺς δεδιότες φυλάττονται, τοῖς δὲ φίλοις ἀνεψγμένοι εἰσὶ καὶ γίγνονται σφαλεροὶ καὶ ἐπιβούλευτοι. Item.

fr. XIX Fr. = μυστήριον ἐν φιλίᾳ ἀκούσας ὕστερον ἐχθρὸς γενόμενος μὴ ἐκφήνῃς· ἀδικεῖς γὰρ οὐ τὸν ἐχθρὸν ἀλλὰ τὴν φιλίαν. Hic locus ambiguus est, legitur enim sine lemmate et ap. Anton. 217, 14 post locum Demonactis et in excerptis Vindobon. cf. Stob. ed. Mein. IV p. 293 post Sexti locum.

fr. XX Fr. = μὴ κτῆσαι φίλον, ᾧ μὴ πάντα πιστεύεις. Est ap. Anton. 217, 27 post duos locos Demonactis, sed ibidem 215, 7 post locum Sexti. Itaque ambiguus est.

Ad fr. XV. Fritzschius addit hunc locum: οὔτε οἱ ἄμουσοι τοῖς ὀργάνοις, οὔτε οἱ ἀπαίδευτοι ταῖς τύχαις δύνανται συναρμόσασθαι. Dubium esse dicit, utrum Moschioni datus sit locus an Demonacti apud Anton. 238, 22. Sed apud Max. II p. 590 aperte Demonacti tribuitur, quocirca eum revera Demonactis esse veri similius est.

His fragmentis addam ea, quae a Fritzschio non allata a Maximo Demonacti tribuuntur, neque quod quidem videam quidquam dubitationis admittunt.

Max. II p. 600: *ὑγιαίνων νοσεῖ πᾶς περίεργος ὁ τὰ ἀλλότρια πολυπραγμονῶν.*

Max. II p. 614: *δεῖ ὥσπερ φορτίον τὴν λύπην ἀναθέμενον μὴ στένοντα φέρειν.*

Max. II p. 652: *τοῖς Ἀσκληπιάδαις μεῖζων ὀφείλεται χάρις ἐπερχομένην ἀνασταλλουσι νόσον ἢ παραπεσοῦσαν ἰασαμένοις, τοῦ γὰρ ἀπηλλάχθαι κακοῦ τὸ μὴ πάσχειν αἱρετώτερον.*

Restat fragmentum a Wachsmuthio l. c. p. 130 exscriptum ex Melissa Augustana, nondum edita, in qua complura adhuc incognita Demonactis fragmenta inesse confirmat: *οἱ ἄνθρωποι τάφους μὲν κατασκευάζουσι καὶ ἐντάφια ὥσπερ μέλλοντες αὐτοῖς χρήσασθαι· ἀφροβίαν δὲ καὶ ἀλυπίαν τὴν περὶ τοῦ θανάτου, ἧ χρήσονται, οὐ παρασκευάζονται.*

His omnibus locis adscribam unum, qui etsi sub nomine Demonactis traditus non est, tamen huius philosophi esse existimo. Leguntur enim in Georgid. cod. Laur. fol. 61^{r} haec: *κόλαζε χωρὶς ὀργῆς τὸν ἁμαρτάνοντα, κηδεμονικὴν νουθέτησιν, ἀλλὰ μὴ σκυθικὴν ἐμφαίνων ὠμότητα.* Lemma est adpositum *Δημοκράτους*. Hoc nomen falsum esse Fritzschius III, 2 p. XIX et Cobetus V. L. p. 13 demonstraverunt. Wachsmuthius igitur hunc locum in gnomologium *ἐκ τῶν Δημοκρίτου Ἰσοκράτους Ἐπικτήτου* recepit, cf. p. 206 nr. 258. Sed Fritzschius l. c. recte: 'Neque dubitari potest', inquit, 'quin pro *Δημοκράτης* saepe *Δημόκριτος* corrigendum sit .. attamen in hoc uno non sunt omnia. immo alia nihil olent e Democriteis, alia Democrito dare ne per dialectum quidem licet', et p. XVII: 'nomina *Δημῶναξ Δημοκράτης Δημόκριτος Δημόφιλος* saepius confusa sunt.' Quod supra iam vidimus quodque eo clarius fit, si comparavimus codices saepe in lemmate '*Δημονάκτ.*' scribentes, quod a '*Δημοκράτ.*' et '*Δημοκρίτ.*' vel minime differt. Itaque vix licet, semper *Δημοκράτης* sine ulla dubitatione mutare in *Δημόκριτος*, sed gnome ipsa respicienda est. Noster autem locus tam bene comprobatur eis, quae apud Lucianum leguntur in c. 7, ut eum Demonactis esse credam.

Fragmentum vero, quod apud Fritzsch. II. est: '*κόλαζε κρίνων ἀλλὰ μὴ θυμούμενος*', Demonacti attribuendum esse non puto, sed cum hoc, de quo agimus, cum eandem sententiam haberet atque ab eodem verbo ordiretur, ita commutatum esse, fortasse initio in codice velut exemplum suprascriptum, ut lemma quoque arriperet. In archetypo igitur erat:

κόλαζε κρίνων ἀλλὰ μὴ θυμούμενος
Δημωναχτος κόλαζε χωρὶς ὀργῆς τὸν ἁμαρτάνοντα κτλ.
ἀλ
Δημοχρ.

Deinde in codice sequiore:

Δημωναχτος κόλαζε κρίνων ἀλλὰ μὴ θυμούμενος
Δημοχρ. κόλαζε χωρὶς ὀργῆς τὸν ἁμαρτάνοντα κτλ.

Antonii vero (p. 133, 51) et Maximi (II p. 595) fons omisit plane secundum fragmentum verum Demonactis retinuitque prius cum lemmate *Δημώνακτος ἀλ Δημοχρ.*

Sed de fragmentis Demonactis haec hactenus. Non erat mihi propositum, ut de singulis eorum omnem removerem dubitationem, hoc demonstrare volui: haec fragmenta non modo non esse neglegenda in quaestione quam tractamus, verum etiam eius discrimen facere. Nam si quis ea quae hoc secundo loco attuli fragmenta animo complexus perlustraverit, aliquantum interesse inter haec et ea quinque quae apophthegmata nominavimus concedet, cum apophthegmata Demonactem cum aliis fortuito colloquentem inducant, haec tamen fragmenta e philosophiae praeceptis aut ab ipso aut ab aequali conscriptis desumpta sunt. Itaque quoniam supra ostendimus, illa apophthegmata non fluxisse e Lucianea vita, nunc tertium de Demonacte philosopho librum credemus extitisse, in quo de philosophia eius actum sit. Haud inepte igitur Fritzschius l. c. p. XXV suspicatur: quamobrem paulo post mortem Demonactis alius philosophus et haec Demonactea et sine dubio alia generis ejusdem in lucem edidisse censendus est.' Itaque fortasse discipulorum aliquis haec ex ore magistri excepta literis mandavit. Tamen nescio

an veri similius sit, omnia haec fragmenta ex Demonactis ipsius libellis excerpta esse. Nam eum ipsum scripsisse quaedam, verba mihi videntur indicare, quae sunt in vit. Dem. c. 4: '*ἐκὼν ἀπῆλθε τοῦ βίου πολὺν ὑπὲρ αὐτοῦ λόγον τοῖς ἀρίστοις τῶν Ἑλλήνων καταλιπών.*' Inprimis haec: '*τοῖς ἀρίστοις*' digito demonstrant, quod quidem videam, scripta philosophica, quae nemini nisi '*τοῖς πεπαιδευμένοις*' placere potuerunt.

Sed quo modo cunque haec res se habet, nemo diutius cogitabit de Schwarzii sententia, quacum qua ratione ea quae de fragmentis exposui concilianda sint ne ipso Argo quidem perspicacior homo videbit. Itaque quae reliqua affert ille argumenta multo brevius refellere conabor.

Tertio igitur loco Schwarzius admiratur, cur Lucianus hunc illius aetatis sapientissimum virum neque in aliis tot scriptis usquam commemoraverit, neque ei libellum quemquam dedicaverit. Ante omnia Demonactem nominandum fuisse in c. 7. Eunuchi, ubi '*ὑπό τε Στωϊκῶν καὶ Κυνικῶν*' eadem fere contra Phaborinum moventur ioca, quae Vit. Dem. c. 12. 13 narrantur a Demonacte dicta. Sed Schwarzius non observavit consuetudinem Luciani, qui aut perraro aut nunquam vivum quemquam nomine in scriptis suis appellavit. Itaque et in mortuos demum Alexandrum et Peregrinum invectus est, neque Herodem Atticum (cf. Peregr. 19. 20) nec Phaborinum (Eun. c. 7) nec Bithyniae procuratorem (Alex. 57) neque alios multos aequales, quamdiu vivebant, nominibus designavit. Itaque Ziegelerus rectissime l. c. p. 334 annotavit: 'entweder liegt ein irrtum vor, oder es ist unter den 'Stoikern und Kynikern' eben kein anderer als Demonax zu verstehen.'

De altero isto argumento, Lucianum Demonacti libellum non dedicasse, mihi disserendum esse non puto. Nam exiguo labore decem illorum temporum viros enumerare vellem, quibus Lucianus libros dedicare vel potius epistulas scribere potuisset. Atque eodem iure negarem Philonem, Cronium, Sabinum, Timoclem, Celsum unquam extitisse, quippe quos

Lucianus, quamquam epistulas ad eos dedit, reliquorum librorum in congerie nusquam nominaverit.

Restat ut de quarto Schwarzii argumento pauca addam. Dicit enim, aetatem magistrorum Demonactis, qui c. 3 nominantur, partim non quadrare ad Demonactis. Inprimis — nam serio de Demetrio non dubitat — Agathobulum minorem natu fuisse quam Demonactem putat, quam ob causam huius magistrum fuisse non posse. Nam cum Eusebius hunc philosophum circa annum 120 p. Ch. n. floruisse tradat, Schwarzius Eusebio nimis confidens illum tricesimum quintum annum egisse pro certo habet. Sed Ziegelerus l. c. p. 335 suo iure iam hanc conclusionem refutavit.

Deinde vero multa incertiora Schwarzius de Phaborino commentus est. Concludit enim ex eo, quod Phaborinus edidit quaestionem, quae in c. 12 inest haec: '*τίνα δὲ καὶ ἐφόδια ἔχων ἐκ παιδιᾶς εἰς φιλοσοφίαν ἦκεις;*' maiorem eum natu fuisse quam Demonactem. Oblitus autem est Schwarzius, hac quaestione superbiam sophistae illius designari, atque omnino Phaborini animum risu et cavillatione Demonactis irritatum fuisse.

Sed etiam quod Wichmannus de varietate locorum, quibus illi magistri Demonactis habitaverint, dicit, non est tanti, quanti ipse putat (l. c. p. 848). Neque dubium fere est, quin et illi philosophi Athenas viserint, nec Demonax semper uno loco manserit, quamquam in vita eius nihil de itineribus: sed hic ne Cypro quidem Athenas factum iter narratur.

Deinde vero prorsus nescimus, num illi viri, qui c. 3 nominantur, revera magistri Demonactis fuerint. Verba enim sunt haec: '*οὐκ Ἀγαθοβούλου μὰ Δί' οὐδὲ Δημητρίου πρὸ αὐτοῦ οὐδὲ Ἐπικτήτου ἐπεγειράντων, ἀλλὰ πᾶσι μὲν συνεγένετο τούτοις καὶ ἔτι Τιμοκράτει τῷ Ἡρακλεώτῃ . .*' Priora autem verba '*οὐκ — ἐπεγειράντων*' mihi quidem videntur ob id ipsum praemitti, ne quis de magistris cogitaret, si verba '*πᾶσι συνεγένετο τούτοις*' legeret. Nam verbum, q. e. *συγγίγνεσθαί τινι* nequaquam semper dicitur de disci-

puli cum magistro consuetudine.[1] Ac ne ea quidem verba vit. Dem. c. 1: '*τῷ Δημώνακτι καὶ ἐπὶ μᾶλλον συνεγενόμην*', si quidem Lucianea sunt, de consuetudine discipuli cum magistro, sed de consuetudine hominum in universum dici potuerunt.

In altera parte commentationis Schwarzius demonstrare conatus est, vitam Demonactis a seriore quodam auctore retractatum esse atque interpolatum. Qua in re facere non possum quin Schwarzium et Wichmannum aliquatenus sequar.

Primum enim Schwarzio adstipulor dicenti, Lucianum librum de Sostrato non scripsisse: ideoque cc. 1 et 2 aliunde addita esse. Leviora tamen videntur, quibus ipse Schwarzius sententiam suam munivit l. c. p. 565: 'Es scheint uns nämlich erstens bedenklich zu glauben, dass Lukian eine rein schildernde, wenigstens in lukianischem Sinne tendenzlose Schrift, wie Sostratos nach dem angegebenen Inhalte gewesen sein müsste, verfasst habe.' Nam hunc libellum sine certo consilio scriptum fuisse ne credamus, prohibemur primis verbis c. 1; certe liber de Sostrato eodem consilio scriptus erat ac de Demonacte. Maioris momenti videtur, quod Bernaysius in l. Lukian und die Kyniker p. 104 obiecit, incredibile esse, Lucianum, virum iam confirmati ingenii, tanta admiratione Sostrati, solitarii hominis, affectum esse. Atque hoc argumentum constat, quamquam Ziegelerus l. c. complura verba obiecit, quorum apponam nonnulla, ut cognoscatur, quid ille vir doctissimus de Luciani scribendi ratione cogitet; cf. p. 329: 'eine derartige Curiosität musste ja völlig genügen, um die Feder des stoffhungrigen Journalisten in Bewegung zu setzen' (!).

Deinde Schwarzius et Bernaysius se intellegere negaverunt, cur ipse libellus de Sostrato in tanto scriptorum numero interierit. Sed Ziegelerus l. c. suo iure dicit, cum

1) De uno congressu dictum est apud Luc. Philops. 39, cf. Stephani lex.

nemo sciat, num omnia a Luciano conscripta usque ad nos pervenerint, Sostratum aeque ac complura alia perire potuisse.

Attamen Schwarzii et Bernaysii deliberationi plus accedet momenti, si consideramus, Luciani consuetudinem omnino non esse, ut in uno libello disertis verbis de alio dicat. Excepta igitur apologia c. 3, ubi facere non potuit, quin olim libellum de mercede conductis a se scriptum esse confirmaret, nunquam aperte hoc fecit.

Deinde hic libellus de Demonacte etiam aliud quiddam habet, quod a Lucianea consuetudine abhorreat. Nam scripta Samosatensis omnia in tria genera dividi possunt, sunt enim aut *λαλιαί* aut *διάλογοι* aut *ἐπιστολαί*. Inveniuntur tamen novem hi libelli, qui extra hanc divisionem ponendi sunt:

1. *περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ.*
2. *περὶ τῆς Συρίης θεοῦ.*
3. *Δημοσθένους ἐγκώμιον.*
4. *περὶ θυσιῶν.*
5. *περὶ ἀστρολογίης.*
6. *περὶ πένθους.*
7. *Λούκιος ἢ ὄνος.*
8. *Ἀληθὴς ἱστορία.*
9. *Δημώνακτος βίος.*

Septem autem priores libellos inter omnes fere constat spurios esse, octavum vero, diebus festis in conventu studiosorum recitatum, segregandum esse propter proprium quoddam fatum a ceterorum grege supra alicubi demonstravi: restat igitur solus Demonax. Ad recitandum autem minime idoneus fuit hic libellus propter discrepantiam partium et apophthegmatum multitudinem.

Sed ne quis credat, me his verbis iam contra totum libellum pugnare: prooemium tantum mihi displicet, sed non solum quod haec, qua utitur, inusitata est forma libelli, sed etiam quia primum enuntiatum tam generaliter dictum est. Lucianus contra a certo quodam facto vel a propria

quadam narratiuncula festive ac lepide dictis ornata ordiri solet.

Postremo loco argumentum ex ipsius Samosatensis scriptis adsumam. In dial. Mort. XXX Sostratus latro inducitur, qui fortasse idem est, atque is, qui apud Demosth. in epistula Philippi (p. 162 Reiske) commemoratur. Denuo Sostratus aliquis nominatur in numero sceleratorum hominum in Alex. c. 4. Dubium autem esse non potest, quin hoc loco spectet Lucianus ad eundem hominem, de quo iam dial. mort. XXX dixerat. Atqui liber de Alexandro mago sine dubio post illum de Sostrato scriptus est, qui Dem. 1 commemoratur. Quomodo igitur Lucianus, si duos Sostratos cognovit, quorum de utroque scripserat, altero latrone, altero vero latronum extinctore (cf. c. 1: *λῃστὰς ἀναιρῶν*), illo loco Alexandri nullo verbo addito de Sostrato latrone cogitare potuit? Quibus rebus commotus cum Schwarzio nego, hanc paragraphum a Luciano scriptam esse.

Deinde Schwarzius verba facit de cc. 1—11, quae turpiter corrupta esse existimat. Wichmannus autem eum adiuvans singulas interpolationes excutere conatur. Qua in re facere non possum, quin ego viros doctos vel maximam partem sequar. Nam c. 3 propter inconditum dicendi genus et confusam orationem Luciani esse non puto. Sin autem quod Wichmannus, ceterum acute, fecit, verba *ἀλλὰ πᾶσι μὲν συνεγένετο . . παραληθείς* et *ὑπερεῖδε . . ἀλήθειαν* eicimus, restant duo deinceps enuntiata, quae a particulis *οὐ μὴν* incipiunt, quod ferri non potest. Verba autem: *Τιμοκράτει τῷ Ἡρακλεώτῃ σοφῷ ἀνδρὶ φωνήν τε καὶ γνώμην μάλιστα κεκοσμημένῳ* a Luciano scripta esse non sine veritatis specie est, cum ex Alex. c. 57 sciamus, Lucianum magni eum aestimasse. Neque habeo cur verba *ἀλλ' ὑπ' οἰκείας πρὸς τὰ καλὰ ὁρμῆς κεκινημένος* contempserim, cum praesertim optime iungantur cum c. 4: *οὐ μὴν ἀνίπποις γε ποσί κιλ.* In c. 4 Wichmanno consentio verba: *ὥσιε ἐπεὶ . . καταλιπών* improbanti, sed etiam *καὶ τὰς ἐν φιλοσοφίας προαιρέσεις . . ἀψάμενος ἠτίσατο* ex alio loco huc

venisse puto. Optime autem aptantur hacc primis verbis capitis 5, quod etiam Schwarzius (p. 567) recte vidit. Schwarzius et Wichmannus etiam cc. 8—10 corrupta esse crediderunt: neque in hac re ab eis dissentio. Sed quomodo restituenda sint, neque illi satis iuste docuerunt neque ego ostendere possum. Hoc tamen statuo, verba c. 10: *καὶ πάντα ταῦτα μετὰ Χαρίτων κτλ.* non esse eicienda, sed artissime cum c. 9: *ἔπεισεν ὑπουργεῖν τῇ πατρίδι τὰ μέτρια* coniungenda.

Denique pauca de c. 11. Schwarzius, quem Wichmannus sequitur, putat, hoc caput a Christiano interpolatore huc collocatum esse, cum ea, quae Demonax de sacrificiis et mysteriis dixerat, comparatione Demonactis cum Socrate facta exornaret. Namque Schwarzio veri simile esse non videtur, tale quid revera illis temporibus evenisse. Sed etiamsi vere non sit factum, tamen non puto fas esse de Luciano dubitare auctore, quem saepius res aut in maius extulisse aut imminuisse satis constat: de Socrate autem eiusque accusatoribus cogitare amat Lucianus.[1] In tota narratione vero ipsa Luciani mens mihi spirare videtur, excepta extrema parte capitis: *καίτοι εὐθὺς ἐν ἀρχῇ — ἐκαλλιερήσατε*, quae aliunde videntur petita esse. Quod autem Schwarzius dicit, hanc narrationem tollendam esse, quod discreparent illi *Ἄνυτοι καὶ Μέλητοι* a verbis c. 63: *ἐχθρὸν οὐδένα οὐδεπώποτε ἐσχηκώς*, ipse sibi pugnat cc. 12 et 13 aliaque pro genuinis habens: nemo enim dubitabit, quin Phaborinum Demonacti inimicum fuisse.

Recte Schwarzius contendit, post verba capitis 63: '*περὶ πάντων*' totum caput 64 inserendum esse.

Quae cum ita sint, Schwarzio concedendum erit, libellum de Demonacte non sine magnis corruptelis ad nostra tempora pervenisse, sed ea quae de persona et consilio inter-

---

1) cf. Fugit. 3: *τὸν Σωκράτην ἀπέκτειναν ὑπὸ Ἀνύτου κατηγορηθέντα.* Pisc. 10: *τί ἂν εἴποιμεν Ἀνύτου πέρι καὶ Μελήτου.* bis acc. 6. Iup. conf. c. 16.

polatoris addit, plane inania sunt. Putat enim libellum Lucianeum de Demonacte circa trecentesimum annum p. Chr. n. retractatum esse a Christiano quodam, eoque refert complura frusta. Sed longum est talia refellere commenta, sufficit hoc loco memorem esse eorum quae Ziegelerus (p. 332) et ipse defensor Schwarzii Wichmannus (p. 845) de hac re dixerunt. Nec vero quisquam, si et in cc. 1. 2 et in ceteris capp. libelli interpolationes inesse concesserit, negabit, rationem intercedere inter interpolatorem capitum 1. 2 et ceterorum veri simile esse. Prooemium autem libelli ab aequali Sostrati et Demonactis scriptum esse ex ipsis verbis elucet: ergo etiam cetera, in quibus offenditur, quoniam nihil obstat tempori, ab eodem scriptore profecta esse credemus.

Itaque ut paucis complectar sententiam meam: duo libelli de Demonacte extiterunt, unus Luciani, alter alius scriptoris eiusdem temporis, qui de Sostrato quoque scripsit. Hos duos posterior quidam scriptor, ni fallor post Eunapium, excerpsit,[1] atque in unum confudit.

Sed accurate de hac quaestione hoc loco disputare mihi non erat in animo, satis habeo, si demonstravi hucusque, et Demonactem philosophum revera illis temporibus extitisse, et ea, quae in vita Demonactis leguntur, iisdem temporibus, h. e. non ita multo post mortem Demonactis scribi potuisse.

Quo fundamento satis certo, de ipso demum philosopho iudicare possumus.

De vita perpauca inveniuntur in 'Vita' Demonactis. Cypri natus erat, e gente nobili ac potenti. Sed plura de Demonacte Cypri vivente non traduntur; etiam ea, quae c. 54 de Rufino Cyprio narrantur, Athenis videntur facta esse. Postea enim Athenis vivebat. Quemnam aetatis annum illuc venerit, quaeque itinera interea fecerit Demonax, omnino non indicatur. Nec vero probabile est, eum Cypro

1) Hoc testari videntur verba, quae in fine sunt: '*ταῦτα ὀλίγα πάνυ ἐκ πολλῶν κτλ.*'

Athenas recta via profectum ibi statim semper mansisse. Fortasse igitur, si obscurata vestigia apophthegmatum sequi volumus, Demonax in Macedonia versatus est (c. 15), Romae (cc. 38. 40. 41), in Lacedaemone (c. 46), in Epiro (c. 55), certe Olympiae (c. 58) perdiu vero Athenis (c. 11 et passim). Annum fere centesimum agens mortuus est (c. 63). Iis quae Fritzchius in edit. vol. II, 1 p. 189 de tempore Demonactis optime attulit, nihil habeo, quod addam.

Quae de eruditione Demonactis traduntur, optime inter se congruunt. A puero studio philosophiae sese iam dedit, natura atque ingenio suo permotus (c. 3). Neque alium habent sensum quae c. 12 fin. narrantur. Quibuscum optime comparatur fragmentum: *Δημώναξ ἐρωτηθεὶς ποτε ἤρξατο φιλοσοφεῖν· ὅτε καταγιγνώσκειν, ἔφη, ἐμαυτοῦ ἠρξάμην.*

Demonax autem non '*ἀνίπτοις ποσί*' accessit ad illam vitae rationem, sed postquam poëtas legit et didicit et eloquentiae studio se dedit nec corporis cultum neglexit. Propterea in apophthegmatis saepius invenimus eum athletarum certamina spectantem iudicem eorum haud clementem (c. 16. 38. 49. 65). De literarum cognitione pauca inveniuntur: Apollonii Rhodii Argonautica noverat (c. 31), Homerum (26. 60. 61), de Danaë mythum (c. 47), denique philosophorum opera, inprimis Platonis et Aristotelis (c. 33. 56. 48. 62). Neque singularum sectarum praecepta atque dogmata ignorabat, sed nullum magistrum plane sequens multorum decreta ad suam ipsius sententiam ac disciplinam redegit, maxime vero ei Socrates et Diogenes placuerunt (c. 5).

Pauca, quae de philosophandi ratione Demonactis dici potuerunt, hoc loco collegi. Dubium esse non potest, quin philosophiae pars moralis ut aliis huius aetatis ita nostro philosopho vel maxime curae fuerit, sed etiam logicorum et dialecticae studio magis sese dedisse videtur quam alii, e. c. Epictetus. Inprimis enim naturali quadam ingenii acumine ei dilemmata quae vocantur atque sophisticae conclusiones iucunda fuerunt, sed non tam adiuvandorum quam impugnandorum sophistarum causa. Itaque commemorandum

est quod de mysteriis Demonactis dilemma est in c. 11: 'neque, si mysteria mala sunt, tacere possum, ut dehorter non initiatos, neque, si bona sunt, prae humanitate, itaque ipse initiari nolo.' Sacra se non fecisse Minervae dixit, quia deos suis victimis indigere non putavisset (c. 11), neque in templa deorum precatum ire oportere, quia extra templa deos non secus ac in templis audire posse consentaneum sit (c. 27). Alia in cc. 37. 59 leguntur. Sophistica quadam et captiosa conclusione Agathoclem Peripateticum gloriantem, se solum et primum dialecticum esse, sic superare et redarguere studuit: 'Si primus dialecticus es, non solus es, sin solus, non primus.[1]

In rebus physicis Demonax operam minimam consumpsisse videtur. Irridebat contra speculatores venatoresque naturae, si proferebant, quae se reperisse putabant ab oculorum reliquorumque sensuum ipsa contemplatione abhorrentia. Velut physico cuidam de antipodibus disputanti umbram in aqua ostendit, cum quaereret: 'tales igitur antipodas esse dicis? (c. 22). Absurdum esse dixit, de mundi '*κόσμῳ*' laborare, animi vero ipsius '*ἀκοσμίαν*' neglegere (fragm. IV Fr.). Quantopere mentis sensuumque iudicio confisus sit, cognoscimus ex responso quod dedit interroganti, quot mille minis lignorum crematis minae fumi natae sint: 'Perpende', inquit, 'cinerem, omne quod restat fumus est' (c. 39).

Quid Demonax de immortalitate animi deque post mortem statu cogitaverit, fortasse e quibusdam sententiis eius obscurioribus explorari potest. Opinionem vulgi certe saepe irridebat: nam interrogatus, quid putaret de inferis, responsionem suam in iocum derivans: 'Expecta', inquit, 'illinc tibi scribam' (c. 42). Interrogatus denuo, num animum immortalem esse credat: 'Immortalis', inquit, 'sed ut omnia.'

1) Similiter dictum est ap. Hieron. epist. ad Nepotian. de Demosthene et Cicerone: 'Demosthenes tibi (i. e. Ciceroni) praeripuit, ne esses primus orator, tu illi, ne solus.'

Hoc responso Demonax indicare mihi videtur, animum mortui in universum effundi, nec manere sui compotem (cf. cc. 20. 60). Alioquin mirum esset, quod de corpore mortuo ea sensisset, quae cc. 35. 36 afferuntur. Nam cum navigaturus interrogaretur: 'Nonne metuis, ne everso navigio devoreris a piscibus?' 'Ingratus essem', inquit 'si moleste ferrem consumi a piscibus, qui tot pisces ipse epulatus sum.' Idemque moriturus: 'Nolite laborare de sepultura mea', inquit, 'odor me sepeliet.'

Quae cum ita sint, nemo mirabitur, quod Demonax caput philosophiae posuit in quaerendo, quomodo quisque in hac vita beatus fieri posset. Beati autem esse nequibunt, ait Demonax, qui et a timore et a spe, quibus humana subiecta sunt omnia, nondum liberati sunt.[1] Ergo liber esto ante omnia philosophus: nihil enim nec spe nec timore dignum est, quia pariter molesta et iucunda existere desinunt omnia (c. 20): indigere non debet aliorum hominum[2] (cc. 4. 8): liber esto ab ira (c. 51), ab curiositate (c. 51. fragm. XVII Fr. et fragm. ap. Max. II p. 600: *ὑγιαίνων νοσεῖ πᾶς περίεργος ὁ τὰ ἀλλότρια πολυπραγμονῶν*); ab mortis timore (fragm. e Mel. Aug. all.); ab mendacio (c. 48). Melius esse, omnino non affici doloribus, quam ab iis liberari, quam ob causam maiorem laudem tribuit medicis, si sanos servant, quam si aegrotos curant. Molestias tamen et incommoda aequo animo toleranda esse, quasi sarcinas a natura nobis impositas. Nec dolori nec voluptati nimis indulgendum esse (cc. 24. 25. 33. fragm. XII Fr.). Sed quamquam Demonax aliorum auxilio frui noluit, tamen ipse amicis libenter succurrit (c. 7). Nam amicitiam in humanis rebus summum et sanctum esse bonum arbitratus est (c. 10. fragm. XIX Fr.). Itaque in amicis eligendis erat difficillimus neque alium voluit amicum, quam cui omnia confidere

1) In hac quoque re cum Luciano consensisse videtur, cf. e. c. Char. c. 15 seqq.

2) Recte enim Schwarzius p. 566 annotat, ad verba c. 4: *μηδενὸς ἄλλου* supplendum esse '*ἀνθρώπου*', non esse neutrum.

posset (fragm. XX Fr.), nam putavit homines ab iis, quos amicos esse credidissent, pluribus affici malis, quam ab inimicis (fragm. XVIII Fr.). Sed si quando amicum sibi assumpsit, hunc carissimum habuit et morbo vel morte eius vel maximo dolore afflictus est (c. 10. fragm. XXI Fr.).

Haec fere habemus quae ut Demonactis persona adumbretur, afferre libet. Certe Zellero assentiemur dicenti[1]: 'Demonax zeichnet sich weit mehr durch seinen Character als durch seine Wissenschaft aus' et: 'Eine wissenschaftliche Bedeutung hat aber Demonax so wenig, als ein Anderer von dieser Richtung.'

1) Philosophie der Griechen III, 1 p. 692. 693.

Halis, Typis orphanotrophei.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881L6.YT C001
QUAESTIONUM LUCIANEARUM
3 0112 023807248